





15
DISSERTATIO

De

1689
8. 10
SVFFRAGIIS
ET EORVM JVRE

Quam

DEO PRÆSIDE

DECRETO ET AVTHORITATE

Amplissimi Jctorum

Ordinis

PRO

SVMMIS IN VTROQVE JVRE
HONORIBVS RITE CONSE-
QVENDIS

PVBLCO ERVDITORVM EXAMINI
SVBMITTIT

JOH. JACOBVS BATTIERIVS
BASILIENSIS.

Ad diem

A.C. clō Ioc LXXXIX.



BASILEÆ,

Typis JOH. RODOLPHI GENATHII.

x.



AMPLISSIMO
ANTECESSORVM BASILIENSIVM
ORDINI,

VIRIS EXCELLENTISSIMIS,
CONSULTISSIMIS,

SEBASTIANO FESCHIO, DECANO
SPECTABILI, INSTITVTIONVM

LVCÆ BURCARDO, FACVLT. SENIO-
RI VENERABILI.

NICOLAO PASSAVANTIO, PANDE-
CTARVM

J. JACOBO BURCARDO, CODICIS
PROFESSORIBVS
DE PVBLICO DEVE MEIPSO
OPTIME MERITIS,

ET ETIAMNVN MERENTIBVS,
HOC
DISSERTATIONIS
MEÆ
MONVMENTVM
QVALECVNQVE

J. JACOBVS BATTIERIVS
DEDICO
CONSECRO Q.



DISSERTATIO

De

SUFFRAGIIS, ET
EORVM JURE.

CAPUT I.

*Diversas Suffragij significationes
explicat.*



VFFRAGIVM Romani sub Regibus atque liberâ etiamnum Rep. eum actum appellabant, quo singuli de populo suam de eâ re, quæ disceptanda proponebatur, sententiam in Comitibus, vel voce vel tabellis declarabant, velut ferenda ne lex quæpiam an vetanda, quis Magistratus creandus, quid in propositâ controversiâ statuendum: cum illi, qui in Senatu atque judiciis consultabant, sententiam potiùs quàm suffragium ferre dicerentur. Post subversam autem Reip. libertatem, atque Comitiorum jus populo ereptum (quod à Cæsare inchoatum Tiberius perfecit *a*) id ipsum nomen ad Senatum translatum videtur, cum quo Comitiorum jus aut simulacrum potiùs communicârunt Impp. Exinde ergo Suffragii nomen pro sententiis in Senatu atq; iudicio prolatis usurpatum videmus *b*, ita tamen, ut de iis potissimum consultationibus, quæ de illis negotiis, quæ olim in Comitibus peragi solebant, velut ll. ferendis, Magistratibus deligendis, judiciis publicis exercendis, id ipsum usurparetur.

*a Tacitus
Annal. l. 15.*

*b l. 8 ff. de
mun. &
hon. & alibi
passim.*

A 2

tur.

4.

tur. Posterioribus verò seculis id nomen ei pecuniæ signifi-
 ficandæ adhiberi cœpit, quæ ab illis, qui publicum quod-
 piam munus impetrârant, Imp. pendi solebat. Id enim est
 quod *συσφραγιον δημοτικόν* in eo juramento, quod Nov. VIII.
 subjicitur, Imp. noster appellat, nempe quòd is numus *τῷ δε-
 σποτι*, Domino atque rationibus publicis penderetur. Hoc
 enim Epith. to distinguenda erat ea pecuniâ ab illâ, quæ &
 ipsa suffragij nomine insignita, cæterùm iis solvi solebat,
 qui pro impetrando munere aut quo alio favore candidati
 nomine apud Principem interveniebant, qui que proprio no-
 mine *Suffragatores* appellabantur, cujus generis fuit ille apud
 Lampridium a Veronius Turinus, à Severo Imp. fumo ne-
 catus. Et de hac quidem pecuniâ extat l. un. C. de Suffragio,
 ad quam luculentum commentarium jam olim edidit Otto
 Tabor. Denique Suffragium omnem illam pecuniam, quæ
 pro adipiscendo munere aut quo alio beneficio cuicunque
 expenditur, in ll. nostris significat. Mihi, omissis istis & quæ
 aliæ, è jure præsertim Canonico, in hunc locum congeri po-
 terant, ejus vocabuli notionibus, de illis duntaxat SVF-
 FRAGIIS dicere consilium, quibus Electionum negotia
 peraguntur: quòd eam rem aut obiter duntaxat, aut minùs
 ordinatè, à nemine profectò ex professo tractatam reperie-
 bàm. Tu, Deus magne, qui solus Imperia atque dignitates
 tuo jure dispensas, cœpto labori suffragare, atque ut is ad vo-
 tum mihi procedat, clementer largire.

a in Alex.
 Severo. cap.
 XIXVI,
 N. VIII in
 epigr. l. 4. C.
 de legat. l. 2.
 C. de muri-
 leg. lib. II.
 b l. 7. C. de
 advo. div.
 jud. l. 6. C.
 de vect. &
 comm. l. 41.
 C. de decur.

CAPVT II.

*Quid Suffragium. Quando & cur electio-
 nes per suffragia peragi institutum. Quor
 genera suffragiorum.*

c. Atbe. Di-
 pnos. VI. II,
 ibiq; Ca
 saub.

SVFFRAGIVM, cùm de electionibus usurpatur, vel
 pro jure ipso ferendi suffragii accipitur, eoque sensu & Græ-
 ci dicunt *ψήφου ἔχων*; pro eo quod nos suffragii jus habere di-
 cimus; vel pro sententiâ, quæ ab eo, qui jus habet suffragii, in
 electio-

5.
 electione profertur. Hoc sensu ego Suffragium sententiam ap-
 pello, quâ quis in eo cœtu, cui ejus rei jus est, quæpiam ad mu-
 nus publicum in Civitate obeundum eligit. Per sententiam
 intelligo quamcunque voluntatis declarationem, quâ scilicet
 is qui suffragii jus habet, eum cui suffragatur, signo quopiam
 externo, velut voce aut tabellis, iis quorum interest, notum
 facit. Cœtus v. eò in definitione memini, ne viderer electio-
 nem à Principe factam suffragii nomine comprehendere.
 Etenim Princeps, cum ad munus quodpiam subditum vo-
 cat, eligere quidem, non item suffragium ferre dicitur. Nec
 sanè eam vocem, nisi ubi de electione à pluribus factâ lo-
 quuntur, hac quidem notione, usurpant Latini scriptores.
 Est autem cœtus h. l. hominum, minimum trium a, congrega-
 tio, qui publicâ auctoritate Magistratus aliaque Reip. mu-
 nera dispensant; quod fit vel à populo universo, vel à quo-
 rundam de populo societate, atque collegio, quò refero Se-
 natum, consistoria Ecclesiastica, conventus Academicos, tri-
 bus, &c. Porro munerum publicorum nomine ea officia in-
 telliguntur, quæ & utilitate & auctoritate publicâ existunt,
 sive quæ auctoritate publicâ imponi solent, atque in rei cu-
 juspiam ad Remp. pertinentis administratione consistunt:
 quæque in Politica, Ecclesiastica, Academica commodè di-
 stinguuntur. Eligere denique mihi h. l. id est, è pluribus eum
 vel eos seligere, qui præ reliquis ad obeundum munus, de
 quo agitur, idonei videantur. Quo sensu electionis voca-
 bulo omnes illi actus continentur, qui aliàs ab electione stri-
 ctè acceptâ à juris Canonici interpretib. distinguuntur, cu-
 jusmodi est nominatio, collatio, postulatio, præsentatio: quæ
 vocabula cum subinde in sequenti tractatione repetenda
 sint, breviter exponam. Et *nominatio* quidem vocabulum
 nonnunquam pro ip. electione usurpatur, præcipuè illâ,
 quæ superioris confirmatione opus habet b: cujusmodi erant
 olim nominationes decurionum, quæ reverà eorundem ele-
 ctiones erant, quæ à curialibus factæ à Præside erant confir-
 mande. c Propriè verò eo nomine is actus appellatur, qui ele-
 ctionem

a l. 85. ff. de
 R. J.

b. l. 2. C. l. 46
 C. de decur.
 l. 7. l. 11. l. 27.
 C. de appell.
 c. l. si quos
 59. C. de dec.

A 2

tionem



a c. quod si-
cut 28. x. de
elect.

b c. 1. dist 85.

c Rebuff. de
nominat.

tionem præcedere solet a, & in quo deliberari solet, quoniam ex omni candidatorum numero præ aliis digni videantur, quorum in electione ratio debeat haberi: quem nos die Wahl vulgò appellamus. Cui similis est & illa nominatio, quâ Papæ plures idonei alicui muneri præsentantur b, ut ex iis, quem velit, possit eligere: ut jam de nominationibus. Universitarum c, quæ unum aliquem gradibus. Academicis insignitum nominare possunt, cui in Ecclesiâ aliquâ proximè vacaturum beneficium conferri debeat de quibus illis, quibus Hispan. Galliarumq; Reges, vacante Episcopatu, quem volunt, nominant Episcopatu investiendum nil dicam. Collatio verò secundum Canonistas eo præcipuè ab Electione est diversa, quòd illa quidem in iis beneficiis, quibus dignitas adjuncta non est; hæc in reliquis locum habet. Postulatio porrò appellatur capituli alicujus aut collegii coràm superiore facta petitio alicujus personæ in prælatum, idoneæ quidem, sed cui obstet defectus Canonicus; utputà ejus, qui jamdum Episcopatum aliquem, &c. possidet, vel qui debitæ ætatis non est; quem postulari quidem, eligi verò non item posse jure constitutum est. Presentatio denique est is actus, quo patroni alicujus Ecclesiæ Episcopo nominant aliquem, quem Ecclesiastico munere in Ecclesiâ patronatâ defungi velint, ab Episcopo postmodum confirmandum. Quæ omnia cum inter se, tum verò ab electione strictè acceptâ, multum differunt, ut in seqq. datâ occasione, pluribus indigitabitur. Nobis h. l. obiter istos actus, in quibus suffragiorum usus aliquis esse potest, attigisse sufficiat: cæterum, ut dictum, electionis nomine omnes in universum illi actus comprehenduntur, in quibus id agitur, ut persona quæpiam idonea muneri alicui publico admoveatur. Hæc ad definitionem breviter notasse sufficiat.

Porrò eligendorum per suffragia Magistratum consuetudinem antiquissimam atque eo statim tempore ortam esse constat, quo primùm Resp. atque civitates in terris esse cœperunt. Quandoquidem enim in omni Reip. constitutione illud primùm quæritur, cui civitatis cura atque administratio

stratio permittenda sit, & præterea cum ab uno aliquo aut homine aut cœtu omnia expediri commodè vix possint, Magistratus subinde aut creari noviter aut defunctis surrogari necesse est, apparet profectò, ipsam statim necessitatem homines ad eligendi istud negotium deduxisse. Quam in rem cum duo potissimum expedire viderentur, nempe ut vel sorti electio tota permitteretur, vel ut ea collatis suffragiis perageretur, iisque vel puris, vel sorti permixtis, ita scilicet ut postquam aliquot idonei suffragiis essent delecti, sorte postmodum unus ex illis eligeretur, in universum ferè id potius expedire visum est, si suffragia potissimum eam in rem adhiberentur. Quanquam enim antiquissimus Poëtarum Homerus passim heroas ad negotii alicujus executionem sortitione delectos affirmet, certum tamen est, non promiscuè atque inter omnes, sed primores duntaxat eam sortitionem institutam fuisse, ut ne si quis ex omnibus suffragio eligeretur, reliqui sibi eum præferri indignarentur. Ad cujus exemplum postea etiam multis in locis, & Romæ præcipuè, usurpatum, ut ex Senatoribus, si quid nomine publico agendum esset, sorte unus aliquis legeretur, eò tantum, ut ait apud Tacitum Marcellus *a*, ne ambitioni aut inimicitiis locus foret. Enimverò *a* Hist. IV. 7. cum in sortitione illà promiscuà facile fortuna ad indignos parumque idoneos deerare possit, quippe cum *sors & urna mores non diu dicent*, ut apud Tacitum Helvidius *b*, suffragia *b* d. l. *& existimatio prudentium reperta, ut in cujusq; vitam famamq; penetrarent*. Cæterum quo præcipuè modo suffragia ferenda essent, apertè an occultè, variis temporibus atque diversis in locis diversimodè constitutum est, de quâ re cum inferius, ubi de suffragiorum ferendorum formâ modoque amplius dicitur, exponendum sit, verbum h. l. non addam. Quòd verò Polydorus Virgilius *c* suffragia, quibus in deliberando *c* de Inv. Rer. II. 2. judicandoque utimur, Palamedem primum omnium reperisse affirmat, non intelligo quid sibi velit vir doctissimus, nisi quòd suspicor, eum nominis ambiguitate deceptum, cum apud veteres traditum reperiret, Palamedem primum *ψήφους*, *h. e.*

h.e. calculorum ludum invenisse, in eum errorem fuisse pro-
lapsum.

Dixi de naturâ atque origine suffragiorum. De variis
eorundem generibus multa h.l. annotare non attinet, cum
ex sequenti tractatione omnes illorum differentiæ uberius
possint dignosci. Ex his illa est inter primas, quâ alia qui-
dem consultativa, alia decisiva esse dicuntur. Illa eorum
esse dicuntur, qui non quidem ipsi eligendi jus habent, sed
duntaxat illis, ad quos eligendi jus pertinet, consilium præ-
eundi, atque proponendi eos, quos munere eo, de quo agi-
tur, quàm dignissimos existiment. Cujusmodi sunt confi-
liariorum Principis, & eorum, quos in quibusdam civitati-
bus *προβέβητες*, a quosque nominatores appellant. *Προβέβητες*
enim illa, quorum in Atheniensi & Romanâ Rep. usus fuit,
atq; nominatio electionem non faciunt, sed ad id duntaxat
comparata sunt, ut in electione, qui potissimum è candidatis
in considerationem venire debeant, sciri possit: neque adeò
nominati quicquam ex eâ re juris accipiunt *b*. Decisiva con-
tra suffragia ea appello, quæ ab illis, qui eligendi jus habent,
feruntur, quæque in electionis negotio concludunt, atque ele-
cto jus quodpiam ad munus conferunt, idque vel continuò,
vel tum demum si confirmatio superioris accesserit. Est &
illud suffragiorum duplex genus, quorum aliud restrictum,
aliud liberum appellant. Restricta illorum esse dicuntur,
qui in eligendo ad certam quempiam nationem, tribum aut
familiam, censum, ætatem, aut aliam conditionem sunt ad-
stricti: cuiusmodi sunt Electorum Imp. qui non nisi Germa-
num ad Imperatoriam; & olim Senatorum apud Rom. qui
non nisi eum qui XL. sestertiùm possideret, ad Senatoriam di-
gnitatem poterant evehere. Nec minùs restricta sunt eo-
rum suffragia, qui de certo quopiam hominum genere ali-
quem eligere prohibentur: cuiusmodi quid olim de Polo-
niâ, quanquam falsò, creditum, non posse scil. indigenam
in eâ regione ad sceptrum promoveri. Libera contrâ ea suf-
fragia esse intelliguntur, quæ in quemcunque, dummodò
idoneum,

a Arist. Pol.
IV.14.

b e. quòd si-
cut 28. n. de
elect.

9.
idoneum, conferri possunt. Ab ipsâ porrò suffragandi ratio-
ne aperta alia, alia occulta; pura item alia, alia sorti per-
mixta appellantur, de quibus cum in seqq. uberiùs sit dicen-
dum, plura h. l. non afferam. Est enim ad rei ipsius tractatio-
nem propiùs accedendum, postquam id unum monuero,
non esse mihi in hac dissertatione propositum, universum
Electionis processum, & quæ ad eam rem pertinent, omnia
diducere, sed ea duntaxat, quæ suffragiorum lationem, in
quâ præcipuè vis illius negotii consistit, exponere. Id autem
ita à me exponetur, ut primò quidem de iis, qui jus habet suf-
fragii, inde de illis, quæ in quoque suffragio præcipuè spe-
ctantur, mox de suffragiorum ferendorum ratione, & quæ ad
eam rem accedunt, porrò de eorundem numeratione, deni-
que de vi eorum & effectu, nec non illis, quæ eorum validi-
tati opponi possunt, argumentis, quàm fieri potest, planissi-
mè edisseram.

CAPUT. III.

*De his, quæ in unoquoque qui suffragii jus
obtinere velit, requirantur in uni-
versum.*

Quinam jus habeant suffragii in electionibus, primo lo-
co explicandum est: quod ut commode fiat, primò, qui planè
ejus juris inhabiles existant, dicendum est. Quandoquidem
ergo in eo, qui suffragii jus habere velit, maturitatem præci-
puè judicii & vitæ honestatem requiri certum est, ut & de mu-
neris, cui administrator quæritur, gravitate, & de candida-
torum meritis quàm integerrimè judicare velit possitque, pa-
tet profectò, ætatis, à cujus maturitate judicii quoque matu-
ritas ferè pendet, hac in re habendam esse rationem. Ob hanc
ergo rationem impuberes suffragii jure excludendos esse
constat, cum discretionem careant *a*. E' puberibus verò qui-
nam ad id jus debeant admitti, cum nihil, quod in univer-
sum atque in omnibus locis obtineat, statui possit, Magistra-

*a c. ex eo. 32.
de elect. in 6.*

B tuum



tuum arbitrio relinquendum est, qui ex suæ nationis ingenio
 statuent, quoto ætatis anno civibus ad electionum istud ne-
 gotium aditus debeat permitti. Quod in illis quidem Re-
 bus. ubi jus suffragii & constituendorum Magistratum
 certis quibusdam muneribus, ut ferè apud nos, est annexum,
 tum contingit, si, quâ ætate ad ejusmodi munera adspirare
 civibus debeat permitti, certâ lege definiatur: quod olim
 quidem apud Rom. liberâ Rep. legibus annariis, sub Imp. p.
 verò ita erat determinatum *a*, ut ante XXV. ætatis annum ad
 Remp. accedere nemini permetteretur, aut sanè, si qui essent
 ante eam ætatem creati Magistratus, suffragium tantisper nõ
 ferrent. Rectè enim Mæcenas ad Augustum *b*: Quomodo, in-
 quit, non sit turpe ac damnosum, cum nemini ante XXV. an-
 nor. ætatem suorum bonorum administrationem concedatis,
 iis qui eam nondum attigerint, Remp. vos credere. Ubi verò
 jus illud ferendi suffragii non est certis muneribus annexum,
 sed vel omnibus prorsus Patitiis (quod in Aristocratiis qui-
 busdam) vel omnibus civibus (quod in liberioribus Demo-
 cratiis observatur) competit, necesse est, ut ætas illa, quâ pa-
 tritii quidem in Senatum, cives autem ad Comitiam debeant
 admitti, definiatur. Prioris rei exemplum in Rep. Venetâ
 extat, in quâ, Contareno *c* teste, patitii planè omnes post
 annum XXV. in Concilio majori, penes quod Magistratu-
 um eligendorum jus est, ad dictionem suffragii admittuntur.
 Posterius institutum Romæ observatum, ubi ad suffragia in
 centuriatis Comitibus ferenda illis duntaxat aditus patebat,
 qui ex Servii Tullii instituto in Centurias relati, atque ad eò
 militiæ subeundæ apti existimabantur, h. e. XVII. annis
 erant majores, ut auctor mihi Gellius *d*. Dixi suprâ, impu-
 beres jus suffragii habere non posse: quod tamen exceptio-
 nem patitur in iis, ad quos jus ejusmodi hereditario jure per-
 tinet. Hic enim cum sæpe ad pupillum ejus juris hereditas
 perveniat, aliud est dicendum. Neque tamen eo casu pupil-
 li ipsi, sed eorum nomine tutores ad suffragium admittendi
e. VII. §. 8 sunt, velut de Electoribus Imp. Aurea Bulla *e* constituit, quæ
 Electo-

a l. 8. ff. de
 mun. &
 hon. l. 6. §. 1.
 ff. de decur.
b Dio. Hi-
 stor. LII.

c de Rep.
 Ven. Lib. I.

d N. A. X.
 28.

e c. VII. §. 8

Electores ante XVIII. annum in Electione Cæsareâ ad jus suffragii non admittit, benè tamen ipsorum nomine tutores: quanquam Dd. a aliud de pupillo patrono affirmant, eum nempe si septennio major sit, validè præsentare, adeò ut ab illo præsentatus ei, qui à tutore præsentatus est, præferatur: quod tamen ita limitant alii ut si præsentatio ad universitatem pertineat, impuberes ad suffragium inter majores ferendum non vocandos existiment. De electionibus Ecclesiasticis id breviter addo, monialem in electione Abbatissæ mox atque pubertatem egressa est b, Canonicos verò in electionibus Episcoporum eos duntaxat, qui in subdiaconatûs minimùm ordine constituti sunt c, atq; adeò XVIII. annorum existunt, suffragii jus obtinere. Quod hætenus de minori ætate est dictum, idem de senili constituerunt Rom. apud quos qui sexagesimum annum compleverant cives, ad Comitiam amplius non admittebantur, dicti inde de pontani, quasi quibus ad pontes, per quos suffragia laturo in Comitiiis transire solebant, aditus non pateret, auctore Festo, Macrobio, aliis. Hæc de ætate suffragiis aptâ. Præter ætatem sexûs d quoque hac in re ratio habenda, quem ut in aliis, ita & hoc negotio virilem ratio ipsa & leges requirunt: nisi quod Moniales Abbatissas sibi suffragiis suis legere & mulierem præsentare e Canones permittunt. Suffragii porrò compotes esse nequeunt insani f: nisi tamen dilucida habeant intervalla; suffragium enim eo intervallo latum validum esse nil vetat g. Sed nec is, qui ante furorem suffragii jus habuit, superveniente furore, id admittit h, sed exercitium duntaxat. De mutis, surdis, coccisque pariter existimo, eos suffragii jus jam partum retinere i: Cærerùm ad novum adspirare penitus prohiberi; præcipuè cum in conventibus istiusmodi publicis decoris cujusdam atque splendoris ratio aliqua habenda sit k. Porrò cum vitæ honestatem in eo, qui suffragium habere velit, requiri constet, patet infames ab isto suffragandi munere protinus l repelli: eamq; in rem Cærites tabulæ in usu erant apud Romanos, in quas Censores, Gellio

B 2

teste

a. g. in c. ex
eo 32. de el.
in 6. Rebuff.
de nomin. q.
17. n. 20.
Tiraq. de
LL. connub.
gl. 5. n. 222.

b. c. indem-
nitatibus.
43. de elect.
in 6.

c. Clem. 2.
cum seq. de
ætat. &
qual.

d. l. 1. § 5. ff.
de postul.
e. c. fin. x. de
conc. præb.
f. arg. l. 12.
§. 2. ff. de in-
dic.

g. arg. l. 39.
ff. eod.
h. arg. l. 46.
ff. eod.

i. d. l. 1. § 5.
ff. de postul.

k Duaren.
disp. ann. 23.

l. Authent.
cred. ntes. C.
de hæret.

a N. A. XVI. 13. teste *a*, eos referri jubebant, quos nota causa suffragiis privabant. Eodem cum infamibus jure utuntur illi, qui pro dando alicui suffragio, vel non dando pecuniam accepisse fuerint convicti. Hos enim infamiam si non juris, at facti saltè incur-
b c. ex dili- genti. n. de Simo. rere, non est dubitandum: atque ita de Simoniacis rescri- ptum est *b*. Qui ad eò neque in eà electione, in quâ id crimen ab ipsis commissum esse arguitur, neque in quibuscunque aliis, suffragium ferre, non magis quàm judicare aut testi- monium dicere permittentur, priusquàm pristinæ famæ fuerint restituti *c*. Denique & illud in universum requiri- tur, ut qui suffragii jus in aliquâ civitate exercere velit, ejus- dem se civem esse legitimè commonstret, cum extraneos ab eâ re jura excludant *d*. Etenim si nemini in alienâ Rep. jus dicere permittitur, quis quæso eum ferat, qui alienæ Reip. rectores atque præfides præficere (quæ res inter sum- mæ potestatis jura censetur) suo suffragio præsumat. Ea profectò ratio est, quare nonnulli Regi Bohemiæ, quippe cujus ditionem extra Imperium sitam contendunt, jus suf- fragii in electione Cæsareâ denegant: extatque in eam rem
c l. 2. ff. de Senat ubi vocem tur- pitudinis Cujacius in specie pro sordibus ac cipit. speculi Saxonici *e* dictum: Der Schenk des Reichs hat keine Wahl/darumb daß er nicht Teutsch ist: quorum tamen
d N. 15. c. 1. sententiam A. B. *f* satis refellit. Est autem, quod ad hanc rem pertinet, civium in universum duplex genus, eorum unum, quos optimo, alterum illorum, quos non optimo jure cives dicebant Romani: eaque differentia in Rebusp. præci-
e Lib. III. art. 57. puè Democraticis observari potest. Illi sunt, qui omnia; hi qui quædam civium jura duntaxat obtinent. Quandoqui- dem ergo jus Comitiorum atque suffragii & ipsum inter jura civium, & præcipua quidem, numeratur, contingit nonnunquam, ut is, qui alia civium jura non participat, suf- fragii tamen jure potitur, quod Athenis olim Thetis sive proletariis hominibus usu venit, quibus non quidem Ma- gistratum gerere, benè tamen suffragium in creatione Ma- gistratum ferre permittebatur. Fit item contrà, ut qui in aliis rebus æquo cum reliquis civibus jure utuntur, à suf-
f c. 1. §. 10. fragio

fragio tamen in electionibus vel omnibus vel quibusdam
 ferendo excludantur: quò pertinet illa Romanorum con-
 suetudo, qui frequenter municipia in suæ civitatis jura co-
 optabant, sed diverso jure: alia scilicet cum suffragio, sive
 Comitiorum frequentandorum potestate: alia citra suffra-
 gium, quam rem cum antiqui subinde, tum verò accuratè in-
 primis C. Sigonius *a* pertractat. Istorum civium non opti- *a de iure*
 mo jure speciem apud nos habent illi, qui noviter in civi- *Ital. l. 7.*
 tatem adoptati aliorum quidem munerum, quibus suffragii
 jus adhæret, non verò item Senatoriæ dignitatis, cui in con-
 stituendis plerisque Reip. muneribus suffragii jus conjun-
 ctum est, participes fieri possunt. Ita ergo constitua-
 mus, suffragii jus ad eos duntaxat pertinere, qui vel nativi-
 tate cives existunt, vel in civitatem adoptati inter alia hoc
 quoque suffragii jus accepere; vel denique illos, (nam & hoc
 addendum) quib. peregrinis licet suffragii jus privilegio
 quodam concessum est, quale quid de Venetâ Rep. Amelo-
 tius *b* recenset, in quâ Nepotib. Pontificum aliisque com- *b hist. dis*
 pluribus id privilegium ll. concessum affirmat, ut quandiu *gouverne-*
 Venetiis subsistunt, Concilium majus frequentare, & in eo *ment de Ven*
 suffragia ferre (quod *ballotare* appellant) non impediantur. *nise p. l. c. 3.*
 Hæc de electionib. in genere: In Ecclesiasticis illud est spe- *n. 20.*
 ciale, quòd Laici in illis suffragii jus habere non possint *c. c. Massanese*
 adeò ut ne quidem consuetudine contrarium possit intro- *56. x. de el.*
 duci *d*: quòd tamen Pontificiis duntaxat est receptum: *d. c. clem. terra*
 cum nostræ Ecclesiæ ad primitivarum exemplum in Cleri- *ra. 14. c. c.*
 corum electione laicos quoque ad suffragium admittant. *quisquis. 43.*
 Constat enim primitus ferè istius generis electiones cleri *d. 2.*
 populi que suffragiis peragi solitas, quòd nec jus Canonicum
 negat *e*: quanquam subseqq. seculis super eâ re admodum *e c. nosce. c.*
 variatum, cum modò laicis suffragium permetteretur, modò *cleri. c. vota*
 iterum adimeretur, quòd inter alia factum Concilio Laodi- *cum seqq. 63.*
 ceno, cujus eâ de re canon extrat *f*. Donec post Henrici V. *dist.*
 tempora, quem jure creandorum Episcoporum à Pontificib. *f c. non est*
 exutum esse infra dicemus, aliquandiu quidem plebs iterum *permittere*
dum. 63.
dist.

a d.c. Mas-
fana.

in ejus juris communionem cum Clericis admitteretur, ad
extremum tamen suffragii jure penitus abstinere juberetur.

b c. 16. de
sent. excom-
mun. in 6.

Manet tamen etiamnum in Ecclesiâ Rom. laicis Principib.
jus nominandi Episcopos in Galliâ atque Hispaniâ; nec
non patronis laicis, qui Ecclesias extruxerint idipsum in
præsentandis personis Ecclesiasticis à Canonib. tribuitur.

c c. 39. x. de
el.

Quod de Laicis dixi, idem & de excommunicatis excom-
municatione majori b (nam de minori aliud est constitutum):
suspensis item d, atque interdictis e, debet intelligi: quos

d c. 16. x. de
el.

e d.c.

nec ipsos suffragio in ejus generis electionib. defungi Cano-
nes permittunt.

CAPVT IV.

*Quot munerum in Rep. species: & quinam
in singulis illorum constituendis jus suffragii obti-
neant: & de Politicis quidem in
specie.*

Postquam superiori capite, quinam ad possidendum jus
suffragii inhabiles existant, dictum est, porro videndum
est, quibus nam in omnis generis electionibus id jus compe-
tat. Neque enim, ut quis suffragii jus obtineat, id sufficit, ut
quis ei obtinendo habilis existat, sed præterea, ut id ipsum
justo titulo sibi acquisiverit. Hoc v. aliter rectè explicari
non potest, quàm si eorum munerum, quæ in unaquaq; Rep.
occurrunt, differentiæ sint cognitæ: quandoquidem pro il-
lorum diversitate diversæ quoque personæ in illis consti-
tuendis jus suffragii exercent. Sunt autem ea munera sum-
ma alia, alia subalterna. Illa, quibus summa totius Reip. ad-
ministratio atque Majestas continetur, velut est in Monar-
chiis Imperatoria, Regia; in Aristocratiis Optimatum Sena-
torumque dignatio. Hæc, quæ summis illis subordinantur,
quæ iterum in Politica, Ecclesiastica, Academica rectè dispe-
scuntur. De singulis ordine videbimus. Et in summorum
quidem munerum constitutione quid obtineat, sive penes
quos

quos sit, summam in Rep. potestatem in quempiam suis suffragiis conferre, non aliunde luculentius potest intelligi, quam si illud principii loco supponamus, homines omnes liberos esse à naturâ prognatos, neque cujusquam civili Imperio obnoxios *a*: eique libertati non prius homines renunciâsse intelligi potest, quam in cœtus primùm civitatesque invicem coirent. Tum verò cum viderent novi civitatum incolæ, non posse eam cohabitationem diu subsistere, si omnibus qui civitate comprehenderentur, permitteretur, ut in rebus ad civitatem pertinentibus suum quisque consilium sequi posset (inde enim, cum diversorum hominum voluntates in diversa niterentur, neque quisquam esset, qui suo Imperio discrepantes sententias ad unum aliquod consilium sequendum posset compellere, non nisi totius cœtus dissolutio poterat expectari) ita tandem inter novos cives conventum existimamus, ut summa rerum omnium potestas vel in unum aliquem vel in concilium quodpiam conferretur, ita ut quicquid ab illo aut majori istius parte decretum esset, id reliqui omnes sequi tenerentur *b*. E' quib. illud porrò apparet, cum in creando Rege aut Senatu, qui omnibus imperet, id agatur, ut cives reliqui, qui se istorum Imperio subijciunt, naturali suæ libertati renuncient, non posse istam electionem, nisi omnium planè civium suffragiis atque consensu, peragi. Libertas enim illa, quam mihi natura tribuit, non potest nisi aut vi aut consensu meo mihi eripi. Quod ipsum nobis argumento est, post obitum primi Principis atque temporib. interregni, tum & post illorum omnium, qui hactenus per successionis seriem Imperium administrârunt, decessum liberam de Rep. disponendi facultatem, quâ Regis quoque eligendi potestatem contineri constat, ad universum populum protinus reverti: quippe cum eo casu populus libertatem suam postliminio recuperet: atque id ipsum sive expressè sive tacitè in electione primi Principis cives sibi reservâsse intelliguntur. Quare neque illis qui à vivo Principe in partes curarum publicarum vocati sunt, velut ipsius

Sena-

a l. 4. ff. de
Just. & jur.
l. 32. ff. de R.
f.

b Pufendorf.
de J. N. &
G. l. VII.
c. 2. n. 7.

Senatus, post mortem ejus, suffragiis suis alium sublegendi potestatem jure sibi vindicant: neque aded & illud Principi licet, aliquibus de populo jus novi Regis deligendi tribuere, atque eo modo reliquos cives suffragii jure exuere, nisi hoc vel populi consensu vel longâ patientiâ confirmetur. Hęc tamen omnia eo duntaxat casu obtinent, quando succedendi in Regnum jus familiæ alicui acquisitum non est: quod contingit, si vel vi Imperium quodpiam fuerit subactum, atque aded patrimoniale evaserit: vel populus id jus in primâ civitatis constitutione Principi ipsiusq; familiæ nō transcripserit: hoc enim casu suffragii juri cives renunciâsse videtur, nisi quod illud nonnunquam sibi populus solet reservare, ut non aliter heres in regnum succedat, quàm si populi consensus prius intervenerit: quo modo electio quadantenus successioni permiscetur. Atque tum populi iste consensus non videtur nudum instar inaugurationis, aut præstationis homagii, sed vim suffragii negativi habere: quo declaratur, heredem Regno obtinendo atq; successioni non ineptum esse,

*a de J. N. &
G. VII. 7.
n. 6.*

ut loquitur Puffendorffius *a*.
Ex dictis satis apparet, jus suffragii in Principum atque summorum Imperantium electione regulariter ad universos cives pertinere. Fit autem non uno duntaxat modo, ut id jus ad paucos quosdam omnium nomine exercendum transferatur. Idque è re est Reip. cum constet, electiones illas, quę promiscuo civium suffragio permittuntur, rarò citra turbas nec semper de dignissimis fieri. Non enim Comitiiis judicat semper populus, sed movetur plerumque gratiâ, cedit precibus, facit eos, à quibus est maximè ambitus; denique si judicat, non delectu aliquo aut sapientiâ ducitur ad judicandum, sed impetu nonnunquam aut quadam etiam temeritate: prout illum euripum Comitior. venustè Tullius *b* describit. Quare illud est summâ cum ratione in plerisque Rebusp. institutum, ut suffragii jus in electionis isthoc negotio ad paucos quosdam, eosque qui maximam in Rep. dignitatem sustinent, restringeretur. Quod duobus præcipuè modis

*b Orat. pro
Plancio.*

discontingit, vel expresso scil. populi consensu, vel præscriptione, cui tamen & ipsi tacitus populi consensus inest. Et enim si pauci quidam jus suffragii in summi Imperantis electione per longum tempus usurpent, reliquis patientibus, aut si populus, cum electionem Imperantis celebrare vellet, à quibusdam impeditus illi prohibitioni per longum tempus acquieverit; si electi à paucis illis Imperatoris Imperio, cum citra ullius mali metum id detrectare posset, pop. promptè semet subjecerit, præscriptione tandem id jus paucis illis acquiri non dubito. Cæterum ut pauci quidam suffragii istud jus in electionibus summorum Imperantium nomine omnium exercendum accipiant, variis modis contingit, quorum aliquos hinc adscribam. Et in Monarchiis quidem illud nonnunquam usurpatur, ut jus eligendi Principis certis quibusdam dignitatibus aut familiis adnectatur, quod in Germaniâ contingit, in quâ quoties Imperator eligendus est, Principes quidam atque Episcopi ad suffragium vocantur, cum olim omnes in univertsum status Imperii,

Prelati, proceres, missisq. potentibus urbes

Guntherus.

electioni interessent; aut ut perpetuo Regni Senatui id ipsum permittatur, quod Romæ in Regum electione factum Livius testatur *a*; aut ut in concilium quoddam atque conventum populi ex omnibus civium Ordinibus convocandum rejiciatur, quod in veterib. Franciæ, Daniae, Sueciæque regnis usurpatum: aut denique, ut vacante solio & illi, qui præcipuas in Regno dignitates obtinent, & populi delegati simul ad Regis electionem vocentur, quod in Angliâ, quoties res ad interregnum devenit, usu observatur, in quâ superior Parlamenti domus Ordines Regni, inferior populi delegatos continet, quæ utræque suffragium in Regum electionibus usurpant. In Aristocratiis ferè Senatorum electionem Senatores ipsi suis suffragiis peragunt, atque in defunctor. locum alios suo arbitrio sublegunt: nisi quod populus nonnunquam suis suffragiis quosdam in Senatum arrogandi jus habet, veluti Tribunos pl. tum scilicet,

C

cum

a l.l.c. 17.



cùm Aristocratiâ aliquid ex Democratia trahit. In Democratia denique illis, quæ Aristocraticè & per Senatum administrantur, non idem iterum institutum observatur. Est enim, ubi populus universus certos eligit, qui postea omnium nomine Senatum legat; quo modo Censores Rom. in Comitibus creati Senatûs legendi jus accipiebant. Aliud apud nos aliosque Helvetiæ populos, qui in tribus sunt distributi (aliud enim hac in re institutum illi observant, qui tribubus carent, quo in genere est Berna, Lucerna, Friburgum, Solodorum) obrinet. Ibi enim tribulium vel omnium vel quorundam suffragiis in unaquaque tribu illi deliguntur, qui vel majoris vel minoris Senatûs frequentandi jus habere debeant: præter quos Senatûs quoque minoris suffragiis è singulis tribubus aliqui in minorem Senatum cooptantur. Sed de summis muneribus, iisque quibus in illis constituendis jus suffragii competat, satis pro instituto.

a l. i. ff. ad l. Jul. amb.

Consequens est, ut de illis quoque muneribus, quæ summis illis subordinantur, quædam addamus. Dixi autem, ea in Politica, Ecclesiastica, Academica distingui, quæ quorum suffragiis constituenda sint, proporrò videndum. Et de Politicis quidem ea omnium Politicorum sententia est, eorum designationem ad illos pertinere, qui summam in Rep. potestatem obtinent *a*, vel quibus isti id negotium vicaria opera peragendum commiserint. Quod tamen eatenus verum est, nisi populus Magistratum creandorum jus sibi reservaverit: quo casu, cùm Magistratum creatio inter Regalia referatur, irregulare atque mixtum quid in Reip. formam inducitur. Cæterùm quando, ut regulariter fit, penes illos qui summi Imperii jus habent Magistratum creandorum jus residet, fit nonnunquam, ut ipsa id jus exercent Majestas, aut ut aliorum suffragiis id ipsum exerceri curet, quod tum contingit, cùm Magistratib. à se designatis vel certis civium ordinibus, aut etiam universo populo vicariam ejus rei potestatem concedit; quo casu, ut jus suum sartum rectum maneat summis Imperantibus, solent ferè isti Magistratum
crea-

creatorum confirmationem sibi reservare. Ita, ut de aliis nil dicam, Decuriones in municipiis atque Duumviri Decurionum a : & sub primis statim Rom. Regibus Magistratus universi populi suffragiis in Comitibus creabantur. Quare frustra Halicarnassensis, ex eo, quod populus sub Regibus Magistratum eligendorum potestatem sibi usurparit, Remp. Rom. tum temporis ex Monarchia atque Democratia mixtam fuisse contendit, cum, ut jam dictum, populus precario duntaxat atque à regibus concessio jure id negotium perageret. Et in universum, ubi de jure populi in eligendis Magistratibus quaeritur, accuratè sunt secernenda simulacra ejus juris à jure ipso. Fit enim saepenumero, ut populus, quò facilius Principis aut Optimatum Imperium ferat, vano istiusmodi suffragandi atque Magistratum legendorum jure, à quo tamen vis planè omnis abest, ludificetur. Ita enim efficitur, ut dum Magistratum electionem à se pendere, & sibi quoque in Reip. administratione aliquam potestatem reliquam arbitratur, in reliquis sese ad Imperantis nutum facile componat. Hujusmodi fuit illud patrum Romanorum Sophisma, qui ut populum post ejectos Reges sibi obsequentiorum haberent, Magistratum creationem in Comitibus populi suffragiis fieri sunt passi, quæ tamen non aliter valebat, quam si patres auctores essent facti, quanquam id jus successu temporis populus sibi in solidum acquisivit, eoque res rediit, ut patres, antequam populus in suffragia mitteretur, in incertum Comitiorum eventum auctores fierent, teste Livio a. a l. l. 6. 17. De Politicis muneribus huc usque.

CAPUT V.

De muneribus Ecclesiasticis atque Academicis, & ad quos Ministrorum Ecclesiae, Professorumque electio in Rep. pertinet.

Ecclesiastica quæ sint, nemo ignorat: sunt autem ea, quæ in nostris quidem Ecclesiis à Ministris, in Pontificiis ab

C 2

Epi-

a l. 1 s. ff.
de Decur.
l. 46. C. eod.
l. 19. ff. ad
munic. &c.
l. 1. C. de ma-
gist. mun.

Episcopis, Abbatibus, presbyteris, &c. obeuntur. Istorum munerum constitutio quorum suffragiis peragenda sit, nostræ atque Pontificiæ religionis juriumque Dd. non conveniunt. Et Pontificio quidem jure quid obtineat, infra dicitur. Nostri & ipsi inter se non satis conveniunt, aliis in eare universi cœtus, aliis Ministerii, Principis summorumque Imperantium suffragia aliis requirenda existimantibus, præter quos sunt, qui clero populoque electionem, Magistratui confirmationem tribuunt. In universum autem sollicitè hac in re distinguenda est ordinatio Ministrorum, quam *χρησθησιαν* ab eorundem electione, quam *χρησθησιαν* appellant. Illa est, quâ non inibus idoneis in genere Ministerii obeundi potestas confertur. Hæc, quâ illi, qui jamdum ordinatus atque obeundo Ministerio habilis est effectus, statio q. quædam atque locus in Rep. assignatur, ubi sacras functiones exercere debeat: ad eum ferè modum, quo David Levitis, quos ad obeunda Sacra Ministeria Deus jamdum ordinârat, certas quaspiam in Templo functiones assignâsse legitur. Illam à Ministris atque Doctoribus Ecclesiæ fieri debere, nemo dubitat. De hac verò, nempe electione, ampliùs quæritur. Quâ de re si ex politicis principiis fuerit statuendum, ut planè statuendum est, dicendum profectò, intelligi non posse, quare Ministrorum illa electio supra potestatem Principis, atque in generali collatione jurium Majestatis à populo in Principem factâ excepta videri debeat. Quòd si enim admittimus, ut planè admittere debemus, posse Principem vi supremæ potestatis cùm de aliis rebus ad externum Ecclesiæ habitum spectantibus, tum verò de personis quoque Ecclesiasticis leges ferre, cujusmodi illæ sunt, quas de Episcoporum eligendorum qualitatibus, ætate, de ordine item in electionibus observando, &c. Theodosius, Justinianus, alii, nemine refragante, ediderunt, quidnî & illud summæ potestati debeat permitti, ut quem ipse potissimum aptissimum judicet, suæ ditionis Ecclesiis præficiat? Præcipuè cùm hæc quoque cura inter reliquas Principi incumbat, ut Eccle-

Vide Nov.
6. 131. 137.
Etc.

Ecclesiæ suæ de Ministris quàm fidelissimis prospiciat. Cui rei & illud accedit, quòd cum Princeps cum primis curare debeat, ut Resp. ex omni parte tranquilla atque beata degat, illud omnino ejus potestati relinquendum videatur, ut ex suo potiùs quàm plebis arbitrio Ministros Ecclesiis præficiat, cum, aliter si fieret, Episcopos turbulentos atque qui pacem Reip. importunis concionibus interpellare possent, nonnunquam admittere cogeretur: quod tristi admodum experimento Germanorum Impp. jam inde ab eo tempore didicerunt, ex quo Episcoporum constitutionem sub Henrico V. sibi eripi passi sunt. Quin si non alio, saltèm patronatùs jure eam potestatem sibi principes vindicare posse credendum est, cum constet, ab illis plerasque Ecclesias aut constitutas primùm aut dotatas: Quare videmus, quàm primùm Rom. Impp. Christo nomen dare cœperunt, jus quoque constituendorum Episcoporum eos sibi usurpasse, illudque vel exercuisse ipsos, vel suo indultu rem cleri populique suffragiis permisisse *a*; reservata sibi confirmandi potestate, cum *a* Nov. 6. 137. 62. hactenus cleri ferè populique suffragiis Episcopi designari solerent, ipsa illos necessitate ut id facerent compellente, quippe cum ab Impp. à Christo alienis Ministros fideles expectare nequicquam potuissent. Neque verò hæc sententia eo nomine inprobanda videri debet, quòd, id si admittimus, cœtuum libertas imminui, atque invitis subinde Ministri obtrudi posse videantur. Præterquam enim quòd hac in re non de eo, quod cœtibus utilissimum videatur, sed de jure Principib. competente quæritur, tum verò sunt & alia remedia, quibus citra imminutionem juris Principalis Ecclesiarum libertati hac in re potest consuli. Tale illud est, quod jamdum antiquissimis temporibus inter Christianos in usu fuisse Lampridius *b* auctor est, qui Judæos atque Christianos *b* in Alex. Severo. c. 45. id usu observare solitos refert, ut creatos à se Sacerdotes prædicarent, h. e. publicè proclamarent, ut si quis esset, cui electus minùs ex re cœtùs esse videretur, rationes suas Principi exponere posset *c*, ne cœtus Ministrum invitum accipere *c* can. si foret. 36. dist. 63.

C 3 coge-

cogeretur: aut sanè, ut electio plebis, aut (quod & ipsum in antiquâ Ecclesiâ usurpatum) ipsius nomine, Ministerii suffragiis peragatur, non aliter tamen valitura, quam si Principis suffragio comprobetur. Hoc verò eligendorum. Ministrorum jus, quod hucusq; Principi assertum est, vel ipsa exercet Majestas, velut apud nos contingit, ubi Senatus suffragiis ii, qui in agrum destinantur, pastores, præviâ tamen Ministrorum Ecclesiæ, & qui ipsis à Senatu adjuncti sunt, Scholarum nominatione, creari solent: quam consuetudinem & Norimbergenses aliique observant. Vel per alium, sed suo nomine Imperantes electionem istam fieri permittunt: quo modo in Palatinatu Senatus Ecclesiasticus id negotium curat: vel denique nominationem aliis concedit, electionem sibi reservat. Competit verò id jus Principi tum demum, ubi populus id sibi non reservaverit, aut præscriptione acquisiverit, atque tum itidem vel ipse vel per delegatos id munus exercet, velut seniores aut eos, qui in coetu illo, in quo de Ministro eligendo agitur, dignitate quadam aut munere publico sunt conspicui: horum enim ferè suffragiis, quod ad evitandas turbas plurimum valet, eæ electiones cæteris nomine peragendæ committuntur. Dixi de nostrarum Ecclesiarum iustitutis, quidque circa suffragii in electionibus. Ecclesiasticis jura rationi consentaneum videatur, quæ omnia exemplis ex antiqua Ecclesia repetitis Grotius a præcipuè atque Conringius b confirmant. Quod verò Romanam Ecclesiam attinet, de ea id breviter addam, Episcopos quidem olim cleri ferè populi que c suffragiis indultu Principum creari solitos, interque hos Episcopi quoque Romani sive Pontifices fuerunt; quos clero populoque Rom. suffragante creari solitos, veterum monumenta testantur: Ea verò res cum turbis variis occasionem dedisset, tandem Pontificum eligendorum jus Imperator ab Adriano Pontifice accepit d, donec post varias concertationes Nicolaus II. Pontifex e Cardinalium suffragiis Papæ electionem peragi juberet, à clero deinceps populoque confirmandam:

a de Imp.
Sum. pot.
circa Sacra.
c. X.

b Exerc. de
const. Episc.
in Germ.
c can. 10. 11.
c. 13. dist. 63.

d c. Adria-
nus. 63. dist.
e can. in no-
mine Domi-
ni. 63. dist.

mandam: sed & hos postmodum Innocentius II. eo negotio protinus exclusit, totius negotii cura Cardinalibus relictâ *a*. In reliquorum Episcoporum electionibus idem antiquitus observabatur, ut dictum, ut scilicet illi Imperatoribus duntaxat Regumque suffragio aut constituerentur: aut ipsorum nomine à clero atque plebe creati confirmarentur *b*: quod cum ægrè faceret Romanis Pontificibus. hoc quoque jus, ut alia, Imperatoribus extorserunt, eoque adegerunt Henricum V. Imperator. ut post varias super ea re turbas jure investiendi Episcopos per annulum & baculum decederet, atque in posterum cleri populi que suffragiis Episcoporum electiones in solidum permetteret: à quibus tamen & ipsis paulatim, coniventibus. Papis, id jus ad singularum Ecclesiarum canonicos demigravit, quibus denique suffragii jus in Episcoporum electionibus Pontifices in solidum addixere *c*: quod tamen non item & reliqui Reges sibi persuaderi passi sunt, qui hodiernum vacante Episcopatu, nominant Pontifici eum, quem eâ dignitate ab ipso investiri velint: quod Hispaniarum quidem Regibus jamdum ante Carolum M. in Concilio Toletano tributum *d* creditur: Galliarum verò Reges vi Concordati, quod cum Leone X. Franciscus iniit, acquisiverunt. Quæ omnia cum ab aliis prolixius sint diducta, & à me quoque superius prælibata, breviter duntaxat mihi attingenda existimavi. Jure ergo Canonico canonicorum (in quibus tamen annos 18. *e* atque subdiaconatus minimum ordinem Canones requirunt) suffragiis Patriarchæ & Episcopi: Monachorum Abbates *f*; monialium Abbatissæ; Presbyteri denique omnes, si Ecclesia sit collegiata, fratrum suffragiis *g* deloguntur.

Porro suffragii jus in Electionibus Ecclesiasticis nonnullis competit jure patronatus, quod præcipuè in jure præsentandi, de quo supra *b*, consistit. Competit autem id jus illis, qui vel dotarunt Ecclesiam, vel ædificarunt, secundum illud tritum: *Patronum faciunt dos, ædificatio, fundus: tum & illis, qui in eorum jura successerunt.* Ex eo ergo jure patronatus

a c. licet. 6. de el. c. ubi periculum. eod. in 6. c. b c. 34. dist. 63.

c c. congregatio. ult. 16. q. 7. c. 3. x. de caus. post. c. pr. c. 18. c. cum inter. c. quia propter. x. de elect. d. c. cum longè. 63. dist.

e Clem. ut ii qui. iunct. c. seq. de ar. c. qual. f. c. abbatum. 18. q. 2. g. c. 1. x. de elect.

h cap. 2.

tronatûs fieri videmus, ut multis in locis aut singulares personæ, aut collegia aliqua suis suffragiis Ministros Ecclesiarum designent, quod licet à multis impugnatum, non in Pontificiis duntaxat, sed & Reformatorem Ecclesiis obtinere certum est. Sed plura de eo jure alii, illi cum primis, qui prolixius ad *tit. x. de Jure Patronatûs* commentati sunt.

Academica porro munera (nam de his quoque aliquid dicendum restat), quod attinet, eorum quoque constitutionem ad eos, qui summam in Rep. potestatem obtinent, tanquam patronos Academiarum, pertinere dubitandum non videtur, quippe cum ipsorum non parum intersit, Academicis eos præfici, qui docendi facultate præ reliquis valeant. Vnde passim ita servari videmus, ut vel Princeps vel Senatus, prout aut Monarchica aut Aristocratica est Resp. Professorum electionem aut ipsa peragat, aut aliis suo nomine peragendam deleget. Hoc modo Grammatici atque Philosophi, qui juventutem erudiebant, post examen atque censuram Ordinis literatorum, curialium suffragiis in municipiis eligi solebant, Imp. permissu atque auctoritate, cum ipsi, ut loquitur Julianus, civitatibus adesse non possent *a*: Quem morem ex parte hodiernum in plerisque Academicis observari videmus, in quibus, ubi de Professore constituendo agitur, Academicorum suffragiis vel unus aliquis vel plures, qui scil. ex omnibus dignissimi existimantur, superiori nominari solent, à quo deinceps ad id munus aliquis adsumitur, idque in Galliis expressis Caroli IX. & Henrici III. sanctionibus constitutum est, velut eas recenset Limnæus *b*: unde receptum est, ut istiusmodi Professorum electiones, quæ ab Academiâ factæ à superiori porro confirmandæ sunt, nominationes appellentur. Cæterum non idem ubique in istiusmodi nominationibus more observatur; Est enim ubi illæ omnium facultatum suffragiis peraguntur, velut de Wittembergensi Academiâ testatur

a l. Grammaticos. 2.
l. Magistros.
7. C. de professor. & Med.

b l. VIII. 3.
9.

c Jp. Confist. l. II. def. 302. & 3.

Carpzovius *c*, & de nostra patet, in quâ tamen quidam Senatûs nomine, quos Scholarcharum nomine appellamus, & ipsi

& ipsi nominationibus istis intersunt. Est item, ubi ejus duntaxat facultatis, in quâ Professionis munus vacat, suffragiis nominatio peragitur, quod de Tholosanâ Academiâ Rebuffus *a*, de Lipsiensi Carpzovius *b* testantur, in quarum tamen istâ requiritur, ut nominatio reliquis facultatibus significetur, ne invitis obtrudatur Collega, & si quis habeat, quod contra nominatum monendum videatur, proponendi habeat facultatem. Et in Professorum quidem electione ista obtinent. Reliquas Academicas dignitates, cujusmodi præcipuè sunt Rectorum & Decanorum quod attinet, illa quidem omnium facultatum (nonnunquam & studiosorum, quod apud nos olim receptum, postmodum usurpâri desisse Vistisius *c* auctor est.) suffragiis defertur, in eâque illud est speciale, quod confirmatione superioris aut Patroni non indigeat ut pluribus probat Stephani *d*, ex eoque Carpzovius *e*. At Decanos sua quæque Facultas sibi suis suffragiis præficit, nisi quod in Academiâ Lipsiensi Ordinarii electionem, qui perpetuus Juridicæ facultatis Decanus existit, Elector sibi reservavit.

a c.1. de nomination. c.1.
n.25.

b Ipr. Conf.
d. 400. n. 9.

c Chron.
Bas. l. VI.
c.2.

d de Idic.
l. 111. p. 2.

e Ipr. Conf.
l. 2. def. 398.
n. 15.

CAPVT VI.

De modis, quibus jus suffragii acquiritur.

Expositum est hætenus de iis, qui in omni Electionum genere jus suffragii possideant: è quibus satis, ut puto apparet, quibus modis jus suffragii acquiratur: de quibus h. l. quædam amplius sunt addenda. Acquiritur ergo id jus primò quidem per solam civitatis participationem: Hæc enim efficit, ut cum in civitate Imperium vel uni alicui vel plurib. deferendum est, vel si res ad Interregnum devenerit, atque novus Princeps priori surrogandus sit, cives omnes in suffragia eo nomine mittendi sint. Secundò modo acquiritur id jus per Reservationem, cum scil. civitas aliqua aut universitas alterius Imperium subitura sibi Magistratum

D

vel

vel omnium vel quorundam suis suffragiis eligendorum jus reservat: Porro id jus acquiritur etiam ex concessione summi Imperantis, ad quem cum jure Majestatis omnium Reip.

a l. i. ff. ad l. Ful. ambir.

munerum constitutio pertineat a, evidens est, eum quoque solum suffragii jus aliis posse concedere. Quare populus Rom. cum Majestatis jura paulatim Senatui eripere atque in se transferre constituisset, hoc quoque inter alia acriter contendit, *populi esse, non senatus jus, suffragium quibus velit impertiri b.*

b Livius XXXVIII. 36.

Conceditur autem id jus vel ordinario jure vel extra ordinem. Jure ordinario, velut si lege lata Princeps jus suffragii in alicujus muneris constitutione certis muneribus, atque dignitatibus annectat: velut Principatibus, quibusdam Germaniæ eligendi Imp. & Decurionum collegio olim eligendorum Duumvirum jus lege conjunctum fuit. Vel si id jus ei legibus concedatur, qui aliquid fecerit aut præstiterit: quò pertinet jus patronatus, quod præcipuè in jure ferendi suffragii in electione Ministrorum consistit; quod illis omnibus, qui Ecclesiam quampiam ædificaverint dotarintve, Canones addicunt. Extra ordinem autem, cum alicui ex privilegio id jus à Majestate conceditur: quo modo sæpius contingit, ut Pontifex e.g. in Episcoporum electionibus jus suffragii alicui extraneo concedat. In universum autem concessio ista juris suffragii sive electionis à Majestate non privativè sed cumulativè facta censetur: atque adeò quanquam regulariter illis, quibus id jus concessum, eligendi habeant potestatem, non tamen negatum est Majestati, quò minus non expectatà illorum electione ipsemet electionis munere defungatur. Quartò & consuetudine jus suffragii acquiri potest; itemque præscriptione: quod jure Canonico variis locis ita constitutum est c.

c c. Cumana 50. x. de el. c. cum ecclesia 3. x de ea post. C. pr. Etc.

Ut autem hujus juris præscriptio procedat, requiritur illius quæ possessio, quæ in usu consistit, eaque quæ possessio vel unico actu acquiritur, adeò ut qui vel semel in aliquâ electione suffragium tulerit, non possit à sequenti electionibus excludi, nisi coram judice id jus ad eum non pertinere evincatur. Ejusmodi

enim

enim collationes in fructu esse censentur *a*, quamobrem non mirum si penes possessorem sint, nec sequantur proprietatis dominum *b*. Quod verò dixi, quasi possessionem suffragii unico actu acquiri, dummodo is actus sive electio effectum habuerit, id cum comuni Jctorum sententiâ *c*, tum & juris nostri auctoritate *d* comprobatur. Vt autem procedat ea q. possessio, requiritur, ut nunquam sit interrupta: quare si vel semel quis suffragii jure in aliquâ electione excludi se fuerit passus, non procedet præscriptio *e*; Prodest autem ea q. possessio etiam successor, dum prior in b.f. fuerit *f*: aliâs enim ex suâ personâ duntaxat præscribet posterior possessor, neque prædecessoris suæ possessionem computabit. Acquiratur autem hoc jus vel cumulativè vel privativè: Privativè tum, cum id agitur, ut is, cui hætenus id jus competiit, eo excludatur, atque id alteri cuiquam acquiratur: quod tum contingit, si prior possessor à quopiam, id jus sibi usurpante, electione exclusus, ei prohibitioni per longum tempus acquieverit. Cumulativè, cum id agitur, ut quis unâ cum aliis in collegio quopiam suffragii jus acquirat, quod tum contingit, si illi qui sunt de collegio extraneum hujusmodi per tempus lege definitum suffragium ferre permiserint. Requiritur autem ad hanc rem possessio longissimi temporis, sive 40. annorum *g*. Et quidem si contra præscribentem militet jus commune aut præsumtio quædam, necesse est, ut præter ejus temporis possessionem doceat de titulo, quo ejus juris q. possessionem nactus sit: aut sanè si titulum probare non possit, possessionem temporis immemorialis *h*. Quare cum e.g. jure communi in electione Episcoporum non nisi canonici ad suffragium admittantur, opus est, ut si extranei quoque ejus juris participes fieri velint, præter 40. annos de titulo doceant *i*; nisi quòd aliquando ex justissimâ causâ titulus præsumitur, quâ de re judex æstimabit. Quod hætenus in genere de præscriptione juris suffragii dictum est, id ipsum & de jure patronatus, quo præcipuè jus suffragii in electione Ministri continetur, intelligendum est: Di-

D 2 stin-

a c. cum olim x. de maj. & obe. b l. bona ff. de A. R. D. c Barbosa ad c. 3. x. de ca poss. ibiq; ab eo citati. Mevius p. 4. dec 291. & cit. V. amplius Tusch. con 83 in E. d arg. l. 1 ff. de aq quot. & ast c. 6. de præb. in 6. c c. cum olim 7. x. de ca. poss. & pr. c 3. eed. f c. cum Eccles. 3. x. de c. poss. & pr.

g Auth. quas actiones C. de SS. Eccles.

h c. 1. de præscript in. 6.

i c. cum dilect. 2. x. de consuet.



stinguunt tamen h. l. Doctores communiter, inter Ecclesiam, quæ patronum jam habet, & quæ nullum: ut in illâ quidem procedat præscriptio, in hac non item; quam tamen distinctionem non attendendam esse Covaruvias a luculenter comprobavit. Sed hac de re plura Canonistæ. Mihi de modis acquirendi suffragii hæc dicta sufficiant.

2 rel. c. pos-
fessor. p. 2. §.
10. n. 2.

CAPUT VII.

Jus suffragii alienari aut concedi aliis non posse. Suffragium an per procuratorem ferri: item electio an in arbitros compromitti possit: & quid juris utrobiq;.

Constitutum hoc modo jus suffragii respectu singulorum eligentium (nam si ad totam universitatem, cui jus eligendi competit, respicias, potius reale dixeris, cum ad eos omnes, qui in universitatem alleguntur, transeat) personale est, atque cum persona ejus, qui hucusque eo usus est, extinguitur. Ad heredes enim non transit, neque quocunq; demum titulo alienari potest, nisi speciali quodam jure alienandi jus alicui concessum esse appareat: velut in patronis contingit, quibus Canones ut eò beneficio plures ad dotandas Ecclesias allicerentur, illud permisere, ut jus suum non minus quam res alias in patrimonio existentes ad heredes, atque alios quoscunq; extraneos (non tamen citra consensum Episcopi b,) transferre possint, dummodo id gratuito ab ipsis fiat c. Quo loco illud quoque de successione in jus patronatus notari meretur, si plures existant alicujus Ecclesiæ patroni, non succedere illorum liberos in capita, sed in stirpes d, atque ad eò plures uni succedentes non nisi unicum habere suffragium, neque posse patronum, cui unum duntaxat suffragium competat, plures in eo jure heredes instituere, nisi ita, ut plurium illorum suffragia habeantur loco unius. Vicissim verò Glossa ad d. Cl. & Dd. uni ex tribus, quibus jure patronatus suffragium competit, si alteri patrono succedat, duplex quoque suffragium obvenire affirmant,

b c. cura. 7.

x. de jure
patron.

c c. de jure.
16. x. eod.

d Clem. 2. de
jure patron.

mant, cum d. Clem. successoribus id juris tribuat, quod defunctus habuit. Illud ergo relinquatur, non posse suffragii jus, nisi ab eo, alienari, cui id speciali jure sit concessum. Quid autem, si non id agatur, ut universitas aliqua (quod enim singuli de universitate hoc facere non possint, dubitationem non habet) suffragii jure semetipsum abdicet, atque in extraneum transferat sed duntaxat, ut in ejus juris consortium extraneum quempiam admittat, seique in suo collegio ferendi suffragii jus tribuat? Quod distinctione expediunt Dd. *a* Aut enim id quaeri ajunt, an id jus in perpetuum alicui possit concedi; an vero pro illa duntaxat vice. Primo sensu neganda quaestio videatur *b*, eo quod nulli universitati permittendum sit, ut de jure sibi a superiore concredito quicquam deperire patiatur, ut plane fit, si numerus eligentium praeter necessitatem augeatur, quandoquidem quantum ad numerum suffragiorum accedit, tantum singulorum suffragio decedit. Accedit, quod cum illorum, quibus eligendi negotium a Principe commissum est *c*, industria electa videatur, nequiquam ipsis permittendum videatur, ut in ejus juris consortium illos admittant, de quorum industria Principi non item constet. Quare nec Electoribus permittum est, extraneos ad suffragium in Imp. electione admittere *d*: ipsique electores, cum Maximilianus I. Imp. Archiduces Austriae ad suffragium in ea admitti postularer, nequiquam id sibi per leges licere sunt arbitrati *e*. Quod si tamen ex sufficientibus argumentis appareat, aliis quibus concessum esse jus suffragii non in modum legis, sed beneficii; h. e. non ut alios in numerum suum admittere non possint si velint, sed ut non teneantur, si nolint, aliud est dicendum. Tunc enim quin beneficio suo renunciare atque extraneos jus suffragii concedere possint, dubium non videtur. Quo modo sunt qui Canonicis solis jus suffragii in Episcoporum electionibus tributum affirmant *f*; non eo sc. sensu, quasi aliis ejusdem Ecclesiae clericis id jus impertiri non possint, sed quod nisi sponte velint,

D 3

id.

a Panorm.
 & Barbos.
 ad c. 40 de
 elect. Idemq.
 de off. & pot.
 Episc. l. 1. c. 1.
 c. 3. n. 24. &
 seqq.
b c. constit.
 47. x. de el.

c in c. 12.
 de offic. &
 pot. jud. de l.
 in 6.

d A. B. c. 20.

e Hartman.
 Maur. de
 von Carol.
 V. apud
 Goldast. in
 Polit. Imp.
 p. 3.

f Barbosa.
 ad c. 3. x. de
 caus. post. &
 pr.

a Vide c. 25.
x. de elect.

b c. scriptum
40. c. cum
Vintoniensis
25. x. de el.

c Panorm.
& alii ad
ad. capp.

d c. quia pro-
pter. 42. §.
illud x. de el.
e c. ult. x. de
off. & pet.
jud. del. c. is
cvi. eod. in 6.
f. d. c. 42. de
el.

id facere non teneantur *a*: quandoquidem ipsis id jus ex beneficio Papali proprium videtur effectum, ut cum olim Clerus universus Electionibus Episcoporum interesset, ipsi deinceps soli eo negotio defungi possent: quorum sententiam alii examinent. Cæterum si non id agatur ab eligentibus, ut suffragii jus in perpetuum alicui concedant, sed pro unâ duntaxat vice, nullo in posterum jure ei dem permissio, negandum hoc illis non videtur *b*, quippe cum nulum hîc vertatur præjudicium universitatis, de cujus juribus nihil eâ quidem ratione deperit: non aliter tamen id fieri posse tradunt Canonistæ, quàm si omnium planè ad eam rem consensus accedat: cujus rei ratio inde est repetenda, quòd singulorum intersit, extraneos ad ejus rei negotium non admitti, cum eâ re uniuscujusque suffragium multum de suo valore amittat *c*. Quare permitti profectò non debet, ut jus ex concessione Majestatis singulis jamdum quæsitum ipsis invitis eripiatur. Accedit quòd, aliter si esset, facilè illicitis machinationibus ansa præberetur: etenim si major alicujus collegii pars sibi ad illum, quem intendit, eligendum suffragia aliqua deesse existimaverit, quid promtius fuerit, quàm aliquot extraneos, quos à partibus suis stare confidat, ad suffragium admittere, atque eâ ratione reliquorum à se dissentientium conatus omnes irritos reddere? quod planè permitti ipsis non debere ratio suadet.

Quibus modis alicui jus suffragii competere possit, satis hucusque dictum est: quibus illud corollarii loco est subijciendum, in Electionibus Episcoporum aliorumve Prælatorum illud specialiter esse introductum, ut quis vel ipse suffragium ferre possit vel per procuratorem: *d* quod aliàs jure communi permissum non videtur, cum in hoc præcipuè negotio personæ industria electa videatur *e*. Non aliter tamen procuratori quis suffragii ferendi vices demandare potest, quàm si legitimâ causâ impeditus ipse eo negotio defungi non possit, cujus rei fidem, si opus videbitur, juramento faciet *f*. Sed nec alii eæ vices com-
mitti

mitti possunt, quàm ei qui sit de collegio Canoniorum *a*, nisi tamen capitulum extraneum sponte admittat *b*. Quàm in re electiones istæ Episc. diversæ sunt ab electione Cæ- sareâ, in quâ Electores pariter per procuratores, sive illi sint de Electorum Collegio, sive extranei suffragium ferre possunt *c*. Neque verò interest, unum an plures quis procuratores constituat, dummodo cuilibet illorum in solidum potestatem det; quo casu potior erit conditio occupantis *d*. Canonicus ergo à Collegâ eâ ratione constitutus procurator duplicis suffragii jus habebit: neque tamen eo casu permitti illi debet, ut suffragia sua dividat, atque in diversas personas dirigat *e*, veluti in Titium quidem suo, in Mævium verò ejus nomine, à quo mandatum acceperit: nisi in specie Titii eligendi mandatum ab altero acceperit. Unde colligitur, posse procuratori de certâ quapiam personâ eligendâ dari mandatum, quod tamen in Electione Imp. fieri posse plerique J. P. scriptores negant: auctorque est Mathenesius *f*, cum ad electionem Ferdinandi II. Imp. Saxonis legatus cum limitato mandato accessisset, reliquos Electores prius ad electionem pergere noluisse quàm legatus liberi suffragii potestatem à Domino accepisset. Sed & in electionib. Ecclesiasticis postmodum Concilium Tridentinum *g*, ne id fieret, expressâ sanctione constituit. Quanquam autem per procuratores, non tamen in literis, suffragium transmitti posse, jure Canonico *h* constitutum est: quippe cum suffragium non ante scrutinium, sed in ipso scrutinio secretè & sigillatim exprimendum sit.

Sed & illud porro in Episcoporum (quanquam & in aliis electionibus id ipsum de jure civili fieri posse dubitandum non videatur *i*,) electionibus receptum est, ut totum capitulum in certos quospiam electionis negotium vice omnium peragendum conferre possit *k*, quo tamen casu omnes planè ut in compromissum consentiant, ex mente Canonistarum requiritur *l*: illique, qui dissentient, suffragium sibi suum retinebunt. Factum ita compromissum

*a d.c.**b c. 46. §. absens. de elec. in 6.**c A.B.c. 19.**d d.c. 46. §. ibi gl.**e d.c. 46. §. porro. de el. in 6.**f de Ferdin. II. parent. §. el. l. 2. f. 76.**citatus Mylero. ad Rummel. p. 2. diff. 6 §. 15.**g sess. 25. c. 6. Barbos. ad d. c. 46. h d. c. 46. §. porro. de el. in 6.**i l. §. 1 ff. quod cui.**un. nom. k c. quia**propter. 42.**x. de elect.**l Gl. & Dd. com. ad d.c.*

*a. c. 30. n. de
elect.*

sum revocari, nisi re integrâ *a*, non potest: tenebunturque compromittentes eum, qui à compromissariis eligitur, admittere, dummodo idoneus existat. Parvi enim refert ipsum

b. d. l. 6. §. 1.

*ff. quod cui.
uni. nom.*

*c. Guil. de
Mandagot,*

*de el. novi
pral. Petr. de*

Bais. direct.

*el. p. 3. c. 17.
& seq.*

collegium elegerit, an is, cui collegium negotium dederit *b*: quâ de re plura à Canonistis *c* traduntur.

CAPUT VIII.

*Quibus ex causis nonnunquam electores
suffragio in electionib. abstinere jubeantur, ubi
de Seccessu præcipuè.*

Antequam istam de jure suffragii tractationem ab-rumpam, res ipsa à me exigere videtur, ut de causis, quibus is, cui aliàs id jus competit, suffragio in aliqua electione ferendo inhabilis efficitur, exponam. Est autem inter has prima atque præcipua, necessitudo atque propinquitas. Hæc enim efficit, cum ut illi qui arcta nimis propinquitate sibi invicem conjunguntur, in eodem collegio jus ferendi suffragii obtinere non possint; tum ut illi, qui jus suffragii in aliquo collegio obtinent tum, cum vel de semet ipsis vel de aliquo ex ipsorum propinquis eligendo agitur, suffragii jure tantisper dum electio fuerit peracta abstinere cogantur. Qua tamen in re cujusque loci leges atque consuetudines, quæ multum planè in hoc negotio variant, attendendas esse, rectè monet

d. in l. 6. pr.

*ff. quod cui.
uni. nom.*

Jctus *d*. Est ergo illud multorum locorum moribus receptum, ut personæ arcta nimis cognatione aut affinitate sibi conjunctæ jus suffragii in eodem collegio obtinere non possint: idque cum alias ob causas, tum præcipuè, ne unius familiæ potestas in Rep. nimium excrescat, néve in unum conspirando omnia in Rep. pro arbitrio agere valeant. Quare omnes in universum, qui in descendenti lineâ existunt, simul suffragii jus obtinere non possunt, quippe cum vox patris, vox filii, & vicissim esse intelligatur, ut loquitur Imp. *e*: in collateralis verò linea fratres, etiam ex una dun-

*e. §. 4. l. de
inst. stip.*

taxat

taxat parte conjuncti, ex affinibus illi, qui patrum & filiorum loco sunt, velut est focer & gener, cum nostris tum & aliorum, inter quos de Lubecensibus id tradit Mevius *a*, (apud quem eam in rem plura extant) moribus Senatui interesse ibique suffragia ferre prohibentur. Quamquam alibi id secus obtinet, ubi citra cognationis affinitatisque respectum cives in Senatum alleguntur: eoque modo patrem & filium in Decurionum collegium admitti solitos, leges nostrae comprobant *b*; & Suetonius *c* auctor est, Caesarem cum Pompejo genero in Senatu assedisse. Sed & illud, ut dixi, quantum ad hanc rem attinet, efficit propinquitas, ut suffragium quis non pro se modo, sed & pro illis, quibuscum vel cognatio quaedam vel affinitas arcta eligenti intercedit, suffragium ferre non possit: sed tantisper dum electio peracta fuerit secedere cogatur: quod nos propterea secessum, den Abtritt / appellamus: quod iterum non universale est: nam in Syndici electione *d*, quae fit à decurionibus, & patris suffragium filio, & filii patri, fratris denique fratri prodesse, Jctus. asserit: quasi decurio enim, inquit Paulus *e*, hoc dedit, non quasi domestica persona: quod idem & in Electorum collegio usurpari traditum est *f*: extantque exempla Johannis I. Bohemiae R. qui Carolo IV. filio, Sigismundi item, Maximiliani II. & qui eum hucusque consecuti sunt, Impp. qui filiis aut agnatis suffragio suo Imperatoriam dignitatem contulerunt: quin & sibi ipsis Electores suffragari posse vulgo asseritur, quamquam alii id eo duntaxat casu permissum ajunt, quando Electorum aliquis cum extraneo quopiam principe paria suffragia tulerit: tunc enim Electorem suae electioni consentire, atque suffragii sui accessione suffragiorum numerum augere affirmant: quorum ego sententiam A. B. g. convenientiorem dicerem, nisi aliud dictaret consuetudo. Contrarium tamen, si non omnium, saltè plerorumque locorum consuetudine introductum est, ut scil. in propria aut propinquorum electione suffragium quis ferre non prohibeatur.

E

Intra

a ad jus Lubec. l. 1. §. 1. art. 5.

b l. 1. c. de mun. non cont. c. in Casare. c. 2. i.

d l. 5. l. 6. pr. ff. quod cui. un.

e d. l. 6. pr. ff. d. 1. §. Limnaus J. P. §. 1. c. 2. 3. 7.

g c. 1. §. ult.

Intra quos autem gradus candidatorum cognati suffragari ipsis non debeant, à Magistratu constituendum est, qui illud præcipuè in hac re solet observare, ut neque intra artos nimium terminos suffragandi ista licentia constringatur, neque vicissim laxè nimium, atque ad eas etiam personas, quæ in remotissimis fortè gradib. aliquo aut cognationis aut affinitatis vinculo sibi conjuncti sunt, extendatur. Vti enim cavendum est, ne cognationis consideratio plus apud suffragantem quàm publici boni studium valeat; ita vicissim suffragii ob quoscunque etiam remotissimos gradus privatio id efficit, ut præcipuè in Rep. familiæ, è quibus ferè plures quàm ex aliis ignobilioribus in Senatum assumi solent, plerisque electionibus excludantur. Quod cum in se noxium est, tum verò improborum hominum machinationibus, qui quoties id rebus suis, atque facilitandæ ejus, quem ipsi promotum eunt, electioni facere videbitur, aliis secedendi necessitatem possunt imponere, ansam præbet. Quare mediam ferè viam Magistratus eligunt, atque uti vicinis nimium gradibus conjunctos ad suffragia non admittunt; ita remotiores non excludunt. Inter hos est illa prudentis. nostri Magistratûs constitutio

a Ord-
nung / wie
man in
Rath und
Gericht
der Statt
Basel ver-
wandtnuß
un freund-
schafft hal-
ben auß-
treten soll
de A. 1666.
b Mevius
ad Jus Lub.
l. l. t. 1. a. 9.
c ad J. L. l.
l. t. 1. §. art.
f.

tio a, qua quis se ipsum; porro è cognatorum linea recta ascendentes descendentesve se invicem in infinitum, è collateraliali æquali usque ad secundum gradum, ex inæquali illi qui parentum liberorumque loco sunt, eligere prohibentur: qui idem gradus & affinitatis ratione observantur, prout distinctius ex d. Ordinatione potest colligi. Lubecenses etiam ad tertium gradum hanc secedendi necessitatem extenderunt b. Cæterum an patrum liberorumque nomine vitrici quoque & privigni; fratrum verò appellatione & illi, qui unione tales sunt effecti, zusammen gebracht Kinder/ venire debeant, usus est optimus interpret. Vbi verò ex usu certum quid non apparet, utrumque negandum censet Mevius c: qui & hoc addit, eam esse communem Dd. opinionem, affinitatis vinculum, quantum quidem

dem ad hanc rem attinet, morte illorum, per quos primitus affinitas coaluit, dissolvi *a*, atque uxore mortua perire affinitatem inter virum & uxoris consanguineos, atque adeo etiam inter focerum & generum. Altera causa, propter quam alicujus suffragium suspectum videri potest, sunt inimicitiae apertae *b*, (de occultis enim valere debet illud Justiniani in *S. ult. J. de except.*) Porro & illos, ad quos ex alicujus promotione insignis utilitas redundatura speratur, suffragiis arceri interest Reip. atque id ipsum etiam de iudice rescriptum est *c*. Denique & illi, qui suffragii ferendi vel non ferendi nomine pecuniam accepisse, aut suffragium suum alicui promisisse, itemque sollicitatores atque suffragatores, qui pro candidato quopiam apud electores intervenisse convincuntur, cum consilia atque iudicia sine omni suspitione procedere oporteat *d*. Et hae quidem exceptiones, quippe quae dilatoriae sunt, quanquam ante electionem proponi debere videantur *e*, & in specie de consanguinitate communiter statuunt Dd. *f* non aliter illam electionis viribus obstare, quam si justo tempore a candidato fuerit opposita, tamen ubi ex statuto secessus ejusmodi hominibus injungitur, aliud sentiendum, nec recusatio expectanda est. Sed de jure suffragii, & cui illud competat, satis pro instituto dictum est.

a per l. 1. §. ff. de post ibiq; Bartol. Mevius ad J. L. l. 1. t. 1. art 7. n. 21. b l. un. C. si propt inim. creat facta sive. c l. 17 ff. de iud.

d l. apertissimi 16 C. de iud. e d. l. 16. C. de iud.

f Mevius. ad J. L. l. 1. t. 1. art. 8 n. 28. 29.

CAPUT IX.

Quid in unoquoque suffragio requiratur; ubi de libertate suffragiorum, &c.

Consequens est, ut propositum nobis in hac tractatione ordinem persequentes de natura suffragii iisque requisitis, citra quae suffragium pro valido haberi non potest, videamus. Illud ergo in suffragante ante omnia requiritur, ut sciens volensque eum, qui dignissimus videatur, eligat. Vnde patet, duo esse quae suffragio potissimum

E 2 ob.

obstant, errorem & violentiam. Quemadmodum autem in matrimonio, ita & in hac materia error qui circa accidentalialia contingit, suffragium non vitare dicendus est: sed is demum qui circa substantialia, velut si quis in persona candidati errer, aut circa qualitatem quampiam essentialiam, aut si circa statum erretur, velut si servus eligatur, qui credatur esse liber: quo de casu extat illustris illa *lex Barbarius 3. ff. de offic. Prator.* è qua illud, quod ad nostrum institutum pertinet, breviter noto, quòd si is, qui aliàs muneri cuiquam obeundo per leges erat inhabilis, illorum tamen, qui si scivissent, impedimentum istud tollere, & contra id dispensare potuissent, suffragiis per errorem ad munus quodpiam fuerit euectus, eatenus sustineatur electio, ut ea quæ ab electo, dum in Magistratu latuit, gesta sunt, pro validis habeantur; cæterum ipse quandocunque detecta fraude munere removeri possit. Ad errorem quoque circa substantialia & id pertinet, si quis indigno suffragetur, sed quem ipse dignum esse per errorem crediderit: quo casu jure Canonico poterunt eligentes ad secundam electionem procedere *a*, secus si scientes indigno fuerint suffragati: quo casu ipsi suffragij jure privantur, & ad reliquos qui dignum elegerint, tota eligendi potestas in Electionibus Ecclesiasticis recidit: quod idem in secularibus Electionibus valere nonnulli contendunt. Potest autem error cognitus ab eligente emendari usque ad publicationem scrutiniij: post publicationem verò non item *c*.

*a c. innovavit
25. de elect.*

*b Card. Per-
circa de pote.
eli. c. 1. n. 60.*

*c c. publica-
20. § 8. n. de
elect.*

*d c. cum ter-
7a. x. de ele.
e. ubi peri-
cul. §. case-
rum. de ele.*

*in 6.
e arg. l. 63.
pr. ff. de con.
e dem.*

Alterum, quod in suffragante requiri dixi, est voluntas, eaque libera *d*: citra hanc enim electio intelligi non potest. Libertas autem ista suffragii in eo consistit, quòd quis è pluribus candidatis eum, quem velit, possit eligere: aut uno duntaxat proposito, eum vel eligere vel rejicere. Neque verò cum isthac libertate pugnare censendæ sunt illæ II. atque consuetudines, quibus subinde eligentium potestas circumscribitur *e*, quas electiones suffragii restricti nonnulli appellant: sed id demum, si electores suffragia

sua

sua ad alterius cuiuspiam nutum atque arbitrium componere cogantur: quod tum contingit, si vel jussu atque imperio ejus, cui citra periculum refragari non possis, vel metu à quocunque alio incusso adigaris, ut non nisi certo alicui è candidatis suffragari, aut ut certo alicui suffragari ne possis. Et jussus quidem superioris quatenus suffragiorum libertatem impediatur, atque ad irritandam electionem coactis ejusmodi suffragiis celebratam valeat, videamus. Quo loco distinguendæ sunt illæ electiones, quæ superioris nomine atque auctoritate à subditis peraguntur, ab illis, quæ proprio jure ad subditos pertinent, & in quibus nulla superiori potestas competit. Quarum illæ cum proprio jure ad Principem spectent, & eligendi jus, quantum ad illas attinet, non privativè sed cumulativè duntaxat subditis sit concessum, poterit sanè Princeps, vacante munere, electionem ipse, non expectatis electoribus ordinariis, peragere, quanquam id fieri minùs expediat; quin & pœnâ propositâ injungere Electoribus, ut eum eligant, quem ipse potissimum eligendum existimârit: quanquam ejusmodi actus non tam electionis, quàm renunciationis vim habet, quâ is, qui jamdum à superiore electus est, ab ordinariis electoribus dicis causâ renunciat. Porro quam vim habet jussus, eundem ferè habet superioris commendatio. Reverà enim suasio ab eo, qui jubere potest, vim necessitatis affert. *a.* Ut aded non nisi umbram potestatis populo Rom. reliquerit Augustus, quando, ut liberam Magistratum eligendorum potestatem illi permisisse videretur, civium quidem suffragiis eas electiones permittebat, cæterum quoties Magistratus creandus esset, ipse tribus cum candidatis suis circumibat, supplicabatque more solenni ferebatque & ipse suffragium, ut unus è populo, auctore Suetonio. *b.* Sed & ante illum Cæsar, quoties candidatos suos ad Magistratum quempiam evehi volebat, libellis circum tribus missis modesto quidem, sed non eo minùs imperioso vocabulo, ipsos commendabat, hac ferè formulâ: Cæsar Di-

*a Tacitus
Ann. XIV.
14.*

*b in ejus
vitâ. cap.
LVII.*

E 3

Etator

*a in Casa.
re. XL I.*

*b latè Coler.
de process.
exec. p. 2. c.
3. §. 356. &c*

*c c. 14. x. de
elect.*

*d c. si quis
autem. 1. q.
6. Petr. de
Bais. dir. el.
p. 1. c. 6. n.
14.*

ator illi tribui : Commendo vobis illum & illum, ut vestro suffragio suam dignitatem teneant ; auctore eodem *a*. Quod reliquas electiones attinet, quæ proprio quodam jure ad populum pertinent, cujusmodi sunt quas sibi populus reservavit, in illis suffragiorum libertatem Princeps imminuere nequaquam potest, dummodo is sit Principis jussus, qui cum evidenti periculo, si quis ei non obtemperaverit, conjunctus sit, neque potuerint electores efficere ap. Principem, ut sibi ea in re impunè obsequium detrectare liceret. Ergo si Magistratus per vim intrudi, à Principe contingat, poterunt illi quodcumque à populo dignitate exui eorumque acta rescindi. Illud tamen Principi tanquam supremo publicæ salutis procuratori denegari non potest, quò minus & in his electionibus prospiciat, ne qui indigni per coitiones aut ambitum creentur: quin imò si is sit creatus, quem ille rationibus publicis minùs profuturum arguat, tenebitur populus concedere arbitrio Principis, quippe cui ille ministros Magistratusque improbos, quorum ferè vel malè vel benè gesta ipsi solent imputari, obtrudere non potest : quo sine expedit, post electionem Principis requirere consensum, velut de electionibus Ecclesiasticis, in quibus aliàs nihil omnino Principibus licere Pontifex voluit, rescriptum est *c*. Quemadmodum jussus superioris, ita metus quoque à quocumque alio eligentibus incussus libertatem suffragii destruit. Qualis verò is metus, qui ad irritandum suffragium valeat, esse debeat, judex æstimabit, qui leviolem etiam metum *d* & qui aliàs ad pactum infirmandum non esset sufficiens, in hac causâ admittet, cum quia majus hac in re periculum vertitur, nempe Reip. tum quia ferè etiam leviori metu sibi persuaderi patiuntur homines, ut aliquid quod Reip. quàm ut id, quod rei suæ familiari damnosum sit, faciant. Facilius enim intentato metu efficies, ut quis suffragium tibi, quàm ut partem patrimonii polliceatur : quippe cum hoc suum, ea verò quæ Remp. universam tangunt, ferè aliena existimet : in quibus

quibus citra proprium damnum liberalem se esse posse autumat. Aliàs tamen illud ad irritandum suffragium non valere in aperto est, si quis se potentiam alterius aut offensam reveritum huic potius quàm alteri suffragatum dicat. Neque enim sola metûs inferendi suspicio *a*, si nihil ab altero factum sit, justum metum facere censenda est: quam *al. 9. ff. quod met. caus.* & huic rei provideri è re est Reip. ut sc. suffragia ita sint ab omni parte secura, ut cui demum cunque quis suffragetur, alterius exprobrationem vereri non habeat necesse: quam ad rem multum in modo ferendi suffragia sicum esse, infra dicitur. Cæterùm metus eligentibus illatus an suffragia ipso jure nulla efficiat, infra commodiùs disceptabitur.

CAPVT X.

Quid porrò in suffragiis requiratur:
ubi de Ambitu, &c.

Suffragia ergo libera esse oportet, ut dixi. Porrò requiritur, ut sint incorrupta. Corruptuntur autem suffragia præcipuè per ambitum, quo nomine in genere id omne continetur, quod ab alicujus muneris candidatis contra leges fit eum in finem, ut suffragia electorum sibi addicant. Quod quid sit, ex cujusque Reip. institutis æstimandum est: in quarum nonnullis ne illud quidem candidatis permittitur, ut sive ipsi sive per alios electores de præstando sibi suffragio compellent, sed constituto duntaxat loco aut apud certas personas muneris petitionem profiteantur: idque apud nos in quibusdam muneribus observatur. Alibi candidatis quidem ipsis, ut id faciant, permittitur: per alios verò nequaquam: ut item apud nos in muneribus reliquis. Alibi tandem utrumque permittitur: illudque duntaxat prohibetur, ne quis illicitas pactiones eam in rem adhibeat: quod Romæ obtinuit *b*. Quòd si quis ergo in aliquod istorum Reip. institutorum peccaverit, meritò ambitus reus arguetur:

*b Cicero de
per. Cons.*

a. l. un. C. de
suffragio.

b. N. 8. 161.

c. can. ordi-
nationes.
113. cum
duob. seq.
1. q. 1.
d. de petit.
Conf.

e. n. 19. pr.
ff. de donat.
l. 1. §. 1. ff. de
pollicit. N.
123. c. 3.
in pr.
f. l. ult. C. ad
l. Jul. repet.
g. l. 16. C. si
cert. per.

h. c. 27. x.
de sim.
i. c. pen. x. de
elect.

arguetur : quanquam propriè ambitus nomine id crimen
veniat, quo pro præstando suffragio aliquid aut datur aut
promittitur. Quod vitium cum in munerum Ecclesiastico-
rum petitione committitur, speciali Simonie nomine ap-
pellatur. Quanquam ergo sub quibusdam Imp. fuerit per-
missum *a*, ejusmodi cum aulicis inire pactiones, ut illi pro
candidato muneris cujuscumque impetrandi causâ Principem
solicigaret, certam vicissim pecuniam, quæ suffragium di-
cebatur, eo nomine accepturi, eaque pacta adeò fuerint vali-
da, ut quod ita esset promissum à suffragatore actione peti
posset, tamen id à seqq. Imp. jure merito sublatum *b* : si-
mulque constitutum, ut nec Imp. quod antè fieri solebat,
quicquam impetrati muneris ratione penderetur. Porro
illa munera, quibus suffragia corrumpuntur, trium gene-
rum facit Pontifex *c*. à linguâ, cujusmodi sunt preces atque
intercessionem candidati aut ipsius suffragatorum ; à manu,
qualia sunt omnis generis pecuniaria emolumenta ; & ab
officio, quod refert candidatorum consecrationes, officiorum-
que & amicitie, quam jure merito Tullius *d* brevem & suf-
fragatoriam appellavit consecrationes. Sed de hac distin-
ctione plura Canonistæ. Illud tamen jure civili ad incur-
rendum ambitus crimen non valet, si quis palàm alicui ci-
vitati aliive universitati, non item singulis, honoris aut de-
lati aut deferendi nomine quid fuerit pollicitus *e*. Ambitus
autem tenentur non illi tantum, qui aliquid suffragii nomi-
ne dederunt, sed & illi qui acceperunt *f*, tum & proxene-
tæ, quique eâ in re operam candidato præstiterunt, quin &
ille, qui sciens pecuniam honoris pretium, dedit ambi-
enti, quem campsarium Il. appellant *g*. Quid autem si à ter-
tio quopiam, sed ignorante candidato, electorib. quidpiam
suffragii nomine datum fuerit ? Distinguunt Canones, ut si
quidem amica mente *h* à tertio quid datum fuerit, irrita
sit electio : sin inimica, & dolosa mente, sustineatur *i*.
Ad præcavendam autem istam suffragiorum corruptelam
illud multum expedire omni tempore est visum, judicata
fuit

fuit certissima, si cum ipsi electores, antequam in suffragia mitterentur, tum & candidati jurato promitterent, neque accepisse se quicquam suffragii nomine quocunque titulo, nec dedisse: sed nec daturos in posterum neque accepturos: quam in rem extant formulæ juramentorum quàm gravissimæ, à Theodosio juniore *a* & Justiniano *b* summâ curâ concinnatæ, quæ in juris nostri corpore extant: atque omnino legi merentur: ab ejusque juramenti præstatione, nec Ecclesiasticas personas immunes esse leges *c* voluerunt. Præter juramentum autem multum quoque ad præcavendam suffragiorum corruptelam, in ipso suffragiorum ferendorum modo situm esse deprehensum est, quem in finem ejusmodi quædam multis in locis providè sunt introducta, quæ corruptionem istam suffragiorum si non prorsus impossibilem, at difficilem tamen, atque, quantum ejus fieri potest, frustraneam efficerent, velut est sortitio suffragiorum & occultatio, qua de re infra. Sed & illud ad hanc rem plurimum prodesse existimatum est, si electiones diu non differrentur, sed quàm fieri potest, citissimè expedirentur. Ita enim efficitur, ut ambitiosi homines temporis angustiam ab illâ suffragiorum nundinatione excludantur. Quo fine comitia nonnunquam subito atque præter omnium opinionem apud Rom. indicebantur, ut ne si cogitasset quidem quispiam largiri, daretur spatium comparandi, auctore Tullio *d*. Cui simile quid apud Venetos usurpatur *e*. Quandoquidem verò vix potest humana prudentia effici, ut ambitus omnis ab isto electionis negotio excludatur, huic quoque rei consulere LLatores, atque ut id crimen, si omnino commissum esset, in lucem faciliùs protrahi posset, providerunt, eoque sine & faciliorem illius probationem reddidè, & præmium proposuere accusatoribus. Præterquam enim quòd, ut in omnib. criminibus publicis, accusandi in hoc crimine omnibus conceditur potestas *f*, &, quod de Simoniâ in specie constituit Pontifex, sceleratis quoq; hominibus *g*, illisque ipsis, qui

a l. ult. C. ad
l. Jul. repet.
b. Nov.
VIII. sub. f.
c N. 123. c. 1.
N. 137. c. 2.

d Orat. pro
Plancio.
e Contar. de
R. P. l. i.

f l. ult. C. ad
l. Jul. repet.
g c. 1. antea 7.
x. de Simon.

F

suffra-

a c. i. x. de
test.

b l. ult. C. de
probat.

c c. sicut. 6.
x. de Simon.

d de Arb.
Jud. Q. cas.
566.

e de prob.
concl. 1311.

f Mev. ad
J. L. l. i. r. i.

a 4. per
Aut. novo

jure. C. de
pœn. iud.

mal. iud.
gl. un. §. ult.

ff. ad l. Jul.
amb.

h Libro de
LL.

i l. un ff. ad
l. Jul. amb.

k N. 2. c. 7.

suffragiis pro alio coëmendis operam navârunt a, tum verò cum in aliis criminib. publicis probationes luce meridiana clariores requirantur b, in isto conjecturæ etiam atque præsumptiones probationis loco admittuntur c, quippe cum ferè id crimen secretò atque sine teste soleat committi, atque adeò probationes liquidæ semper haberi non possint: qua de re pluribus pertractant Menochius d & Mascardus e. Accedit, quòd cum aliàs juramentum purgationis illis duntaxat præstandum sit, qui suspicione aliqua gravantur, hîc tamen etiam ab illo exigi id possit, qui nulla diffamatione aliòve corruptionis indicio gravatur f. Præter probationis autem facilitatem id quoque ad ambitum in lucem protrahendum facere visum est, si præmia accusantibus proponerentur. Inter quæ illud unum ex præcipuis fuit ll. quoque nostris g sancitum, ut si is qui olim ambitus erat damnatus, alium ejusdem criminis posset convincere, ipse in integrum restitueretur, atque famam recuperaret: præter quod & illud apud Rom. erat receptum, ut is, qui alterum ad dignitatem quampiam per ambitum ascendisse demonstrare posset, locum ipsius atque dignitatem consequeretur: qua de re & aliis de eo crimine Rom. legibus amplius tradit Manutius h. Quod denique pœnam attinet hujus criminis, erat illa sub Impp. pecuniaria 100. aureorum cum infamiâ, illis definita, qui in municipiis suffragia electorum coëmissent: in urbe enim lex Julia cessabat, cum ad curam Principis Magistratum creatio pertineret, non ad populi favorem i. Jure novo Magistratus quidem vel accipiens ipse vel patiens, ut ab officialibus suis quicquam suffragii nomine accipiatur, quadrupli pœnam, ut fur manifestus, sustinet, cum amissione dignitatis: qui verò ex eorum familiâ ejus se criminis reos fecerint, quadruplum cum facultatum suarum & muneris jactura subeunt k. Quid in Simoniâ amplius sit, videri potest in Extrav. 2. de Simon. Denique electio corruptis suffragiis celebrata ipso jure nulla est, ut infra dicetur.

Quarto loco & illud in suffragante requiritur, ut non

nisi digno eique, quem per leges eligi liceat, suffragetur :
 quandoquidem eum in finem suffragiis electiones peragi
 solent, ut perspectis singulorum meritis is quis idoneus ju-
 dicatur, admoveatur muneri. Idque adeo verum est, ut Cle-
 rici qui scienter indignum elegerint, (quod in dubio præ-
 sumitur *a*) pro ea vice ipso jure eligendi jus amittant, & tri-
 ennio beneficiis, quæ in eâ Ecclesiâ, in qua electio peracta
 est, priventur *b*: & quidem si omnes Canonici in eo deliquere-
 rint, jus eligendi ad superiorem: sin quidam tantum, ad re-
 liquos devolvitur *c*. Porro dignus quis sit, ex eo æstimand-
 um est, si ea, quæ muneri alicui cum dignitate subeundo re-
 quiruntur, aut omnia aut potissima possideat. Ut autem suf-
 fragium alicujus validum sit, sufficit præstitum idesse ei qui
 dignus sit, licet alius dignior inter candidatos reperiat *d*,
 quod ad evitandas quæ super ea re oriri poterant lites in-
 troducendum est. Hæc ita jure Canonico: Jure civili is, qui
 ad munus est electus, si alium se magis, idoneum atque po-
 tiorum nominare possit, audiendus est *e*: quod tamen ad
 tutores datos potissimum pertinuisse videtur, quibus per-
 missum alios tutelæ obeundæ sese aptiores sui loco nomi-
 nare, ut est apud Jul. Paulum *f*.

Denique & illud in suffragiis requiritur, ut pura sint,
 h. e. non conditionalia, non alternativa, non incerta *g*. Et
 Condicio quidem, cum electio sit actus legitimus, locum in
 illa habere non potest *h*: ut nec in sententiâ *i*. Excipiuntur
 tamen h. l. illæ conditiones, quæ in continenti expediri
 possunt *k*, vel quæ sua natura atque tacite insunt suffra-
 giol. Alternativa porro suffragia, cujusmodi istud est: eligo
 Titium, aut, si is indignus fuerit, Mævium: tanquam incer-
 ta reprobantur: in præsentatione tamen illud specialiter
 receptum est, ut à patrono plures alternative præsentari
 possint *m*. Sed & in Pontificis electione ejusmodi suffragia
 recepta esse *Glossa ad c. 2. de el. in 6.* testatur: cujus rei eam af-
 fert rationem, quod cum electio Pontificis non aliter va-
 leat, quàm si duæ suffragiorum partes in eundem consen-

F 2 tiant,

*a per c. inno-
 cent. 20. x.
 de el. Zuesf.
 ad h. n. 19.
 b c. cum in
 cunctis. 7. 9.
 clerici. x. de
 elect.
 c. c. cum
 Winton.
 eod. G. c.
 d. c. mona-
 sterium. 16.
 q. 7. gl. in c.
 constitutis.
 x. de appell.
 e l. un. C. de
 potior. ad
 mun. nom.*

*f Recept.
 sent. l. 11. r.
 28. ibiq. Cu-
 jac.
 g c. in elect.
 2. de el. in 6.
 h c. 50. x. de
 R. f.
 i l. 1. §. 5. ff.
 quando app.
 sit.
 k arg. l. 11.
 c. de sens. G.
 inter l. c. si-
 gnif. 4. x. de
 elect.
 l. arg. l. 6. §.
 1. ff. de iur.
 m Cle. 2. de
 iur. patr.*



tiant, non aliter ferè quàm hoc medio ad eum numerum
perveniri possit. Deniq; incerta suffragia, quemadmodum
& sententiæ incertæ *a*, rejiciuntur.

*a l. pen. &
ult. C. de
sent. qua sine
cert. quant.
l. 74. ff. de V.
O. §. 32. F. de
arb.*

CAPUT X.

*De Vocatione ad ferenda suffragia. Quot
modis ferantur suffragia; de ve Sortis in
suffragiis usu.*

Postquam ea, quæ suffragiorum naturam propiùs af-
ficiunt, hucusque explicata sunt, consequens est, ut ad ipsam
suffragiorum lationem accedamus: priùs tamen de Voca-
tione ad electionem, citra quam latio suffragiorum non va-
let, aliquid dicendum. Sunt enim omnino ad electionem
vocandi electores, adeò ut si vel unus citatus non fuerit,
electionem is à reliquis factam irritare possit *b*. Neque in-
terest, præsentésné sint illi, qui suffragii jus habent an ab-
sentes, dummodò in eo sint loco constituti, unde commodè
atque citra periculum vocari possint, sive sint *c* intra pro-
vinciam sive extra provinciam: nisi tamen aliud sit con-
suetudine introductum *d*, quæ hac in re potissimùm con-
sideranda est. Fit autem citatio vel per campanam, vel per
nuncium aut literas. Hæc ita in electionib. Episcoporum
jure Can. statuta sunt. In aliis cujusque loci leges atque
consuetudines observandæ sunt: & jure quidem civili illi
vocantur, qui sunt intra civitatem *e*. Vocati electores si
non compareant, ad illos eligendi jus devolvitur, qui com-
parebunt *f*: adeò ut si vel pauci vel unus quempiam suffra-
gio suo elegerit electio subsistat *g*; quod de Pontificis ele-
ctione ab uno Cardinali peracta *h* est traditum: nisi tamen
lex certum quempiam eligentium numerum requirat: (ve-
lut in Decuriorum ordine) tunc enim nisi præsenté eo ele-
ctor. numero, electio non valebit. Est autem eò faciendâ
vocatio, ut electores in concilium congregati ferant suffra-
gia; cum suffragia non à singulis seorsim, velut domi, cor-
roganda

*b l. 2. C. de
dec. c. 28. c.
bona. 36. x.
de el. Mevi-
us dec. p. 4.
d. 201.
c c. quod si
ent x. de el.
d c. cum in
Ecclesiis. 33.
de præb. in 6.*

*e l. fi. C. de
legat.
f d. c. quod
sicut.
g per l. 7. §.
f. ff. quod
cui. un.
h gl. in
Clem. ne Ro-
mani. de el.
i l. n. illi 3. l.
sq. ff. quod
cui. un.*

roganda, sed collegialiter, ut loquuntur, ferenda sint *a*. Et hoc quidem in omnibus illis actibus observari debere tradunt Dd. quæ ad plures pertinent ut ad collegium, quin & illis, quæ ad plures ut singulos, dummodo talis sit actus, in quo major pars præjudicet minori: Quare & patroni, ad quos præsentatio ut ad singulos pertinet, non singuli separatim, sed omnes simul præsentare debent, cum major illorum pars consentiens minorem ad eundem præsentandum obliget *b*. Et rectè quidem: cum aliàs major pars patronorum minorem possit negligere, quæ si præsens fuisset, majorem ad aliam præsentationem adducere potuisset *c*.

Post citationem ad ipsam porrò suffragiorum lationem proceditur: in quâ cum illud considerandum est, quo ordine, tum verò quâ formâ & ratione ferenda suffragia. Primum illud ex cujusque loci consuetudine explicandum est, quæ in hac replurimum variat. Est enim, ubi dignitatis ratio habetur: velut in Electionibus Ecclesiasticis, in quibus Decano primi suffragii jus est. Alibi ætatis, ut sc. qui ætate, idem & suffragio reliquos antecedit: cujus tamen contrarium observârunt olim in Comitibus Romani, ap. quos Dione *d* teste, prius privatis hominibus concio dabatur, quàm Magistratuum tenentibus, ne quis nimirum potentioris, ut fieri assolet, suffragio præventus suum ipse supprimeret. In legibus nostris *e* jus primi suffragii illis tribuitur, qui pluribus suffragiis Decuriones essent creati, aut qui liberos plures procreâssent. Sed de hac re alii plura.

De formâ modoque, quo suffragia feruntur porrò dicendum, quod caput eò uberius explicari meretur, quò majus ab omni tempore in rectâ illius rei conformatione ad rectè instituendam Magistratuum electionem momentum situm esse existimatum est. Est autem suffragiorum ferendorum multiplex planè ratio, quæ tamen ad duo genera commodè referri potest: Apertam unam, alteram occultam. Illa est, cum palàm atque omnibus vel inspectantibus, vel audientibus: Hæc, cum occultè & nemine conscio feruntur suffragia.

a l. 27. C. de appell. l. 2. C. de decur. c. in Genes. ff. x. de el.

b arg. l. 7. §. ult. ff. de pat. ibiq. Bar. Panorm. ad c. 3. n. ult. de jur. patr. c. l. 7. §. ult. ff. de recept.

d lib. XXXIX.

e l. 6. §. ult. ff. de Decur.



gia. Quod ut magis pateat, atque quæ optima suffragandi ratio videatur, à sapientioribus dignosci possit, utriusque species & exempla subjiciam. Et apertæ quidem suffragandi rationis tria potissimum genera occurrunt, una quæ voce fit, alteram quæ manuum elevatione, tertiam denique, quæ discessione in partes. Primum illud, sive quod voce fertur, suffragium quid sit, nemo ignorat, fuitque ejus usus frequentissimus semper, & ut videtur, antiquissimus: & Romæ cum primis ante legem tabellariam in comitiis frequentatus, & Lacedæmone, (cujus civitatis singulare planè in ferendis suffragiis institutum Plutarchus *a* recenset,) cujus cives è ψήφω, ἀπὸ τοῦ χειρὸς κείναι. Thucydides *b* auctor est. Altera species suffragiorum est, ut dixi, *χεροβόλια* in quâ illud observatur, ut postquam à præside cujuspiam collegii nomen candidati pronunciatum est, illi qui nominato à præside candidato suffragantur, manus protendant, quibus deinceps dinumeratis suffragiorum numerus colligitur: quanquam postea *χεροβόλιας* nomine omne electionum genus promiscuè appellari cœpit. Tertia apertæ suffragationis species, ut dixi, est discessio in partes, Lacedæmoniis olim, sed Romanis præcipuè, & tùm quidem potissimum usurpata, quando in plures sententias à Senatu aut populo erat discessum: tunc enim, ut, quis cuique sententiæ suffragaretur, sciri, atque suffragiorum numerus commodius iniri posset, jubebantur cives aut Senatores in partes secedere, hac ferè formulâ: *Qui hac sentitis, in hanc partem; qui alia omnia, in illam partem ite, quâ sentitis.* Tunc ergo singuli ad eorum Senatorum, qui primi sententiam protulerant, sedes accedebant, quod pedibus in alicujus sententiam ire dicebatur. Plura de eo Romanorum more Dio *c* & Plinius *d*: de Lacedæmoniorum Thucydides *e*.

Hæc apertorum suffragiorum genera: quibus & alia complura addi possent; velut quæ assurrectione, capitis detractione, inutu, denique quocunque signo externo feruntur. Occulta suffragiorum ferendorum ratio, & ipsa fuit diversa. Est enim, ubi voce quidem feruntur

*a in vitâ
Lycurgi.
b lib. I.*

*c lib. LI.
d Epi. VIII.
14.
e l. I. de bello
Pel.*

tur ab electoribus suffragia, sed in occulto, atque coram eo aut iis duntaxat, qui à reliquo collegio electorum ad eam rem deputantur, quosque scrutatores jus Canonicum appellat. Huc pertinet forma electionis Episcopalis, quæ à Pontifice *c. quia propter. 42. x. de el.* præscripta est, & breviter sic habet: Congregati electores tres scrutatores de suo collegio constituere jubentur, ad quos singuli electores accedentes secretè suffragia sua exponant, quæ deinceps in scriptis redacta illi in communi publicare debeant: eaque vocatur electio per scrutinium, diversa ab alterâ, quæ fit per compromissum, & tertiâ quæ per inspirationem, de quibus d. c. videri potest: quanquam ultima illa penitus, & secunda potissima sui parte hodie frequentari desit. Secunda occultorum suffragiorum species illa est, quæ in scriptis atque per schedulas feruntur, quibus electores singuli nomen candidati, nonnunquam & suum (velut in Pontificis electione, quam Gregorius XV. Pontif. in ceremoniali suo minutatim descripsit,) inscribunt. Pertinet huc præcipuè Romanorum consuetudo, quâ in Comitibus suffragia ferre solebat pop. Apud eos enim cum antiquitus suffragia in Comitibus vivâ voce ferri consuevissent, primus innovandi illius moris auctor Gabinius quidam, Trib. pleb. extitit. Is tabellariam, quam vocant, legem in Comitibus observandam (quæ tamen postmodum sub Trajani Imperio in Senatum quoque introducta est, auctore Plinio *a.*) primus pertulit, quâ in posterum, ut libera essent, suffragia tabellis perferri mandavit, fuitque ea res ita constituta. Destinatae erant ei negotio mensæ duæ oblongæ, quas pontes appellabant, inter quas juxta se invicem constitutas tam angustum erat spatium relictum, ut præter unum transire nemo posset, eo fine, ut ne quis in medio consistere, eosque qui transirent de suffragio appellare posset. In eorum pontium principio stabant diribitores, qui singulis civibus tot numero tabellas candidatorum nominibus inscriptas ministrabant, quot erant candidati. **lis acceptis, per pontes cives singuli transibant ad Ovile, quo nomine**

a *Epist. l. II.*
20.



nomine locus erat sub finem pontium cancellis conclusus, ne quis alius præter suffragantem introire posset. Ibi in propositam cistam tabellam quisque eam injiciebat, cui illius candidati, cui suffragabatur, nomen inscriptum legebatur: Illatis ergo tabellis omnibus, numerus illarum, & quot pro unoquoque candidato facerent, inibat, atque pro tabellarum numero totidem puncta in aliâ tabellâ notabantur: unde illud Horatii: *Omne tulit punctum*. Est porro præter hunc modum tertius apud quàm multos hodie receptus, in quo tabularum loco pilulæ, (quem usum antiquis præstabant fabæ *a*) adhibentur: eas *ballotas* Veneti, apud quos præcipuè id institutum jam inde à longo tempore viget, appellant, per quas qui suffragium præstant, *ballotare* dicuntur. Eorum institutum sic recenset Contarenus *b*. Primò omnium per sortem quatuor Electorum ordines creantur, quorum singuli novem Senatoribus constantes seorsim candidatum muneris designant, ut ad eò 4. uniuscujusque muneris candidati eâ ratione à 4. ordinib. designentur. Horum nomina magno Senatûs scribæ offeruntur, qui inde nomen illius, qui à primo ordine in candidatorum numerum est relatus, palàm prælegit, ejusque nomine Senatores in suffragia ire jubet. Continud juvenes tot numero assurgunt, ut unicuique sedilium, quibus insident Senatores, quorumque ab utraque atrii parte 10. in universum 20. existunt, bini inserviant. Horum singuli urnas duplices, quarum viridi una, altera albo colore picta est, manu gestant. Sunt autem illæ ambæ uno fornice in summo contactæ, atque uno duntaxat foramine apertæ, ita ut suffragator insertâ illi manu, in utram velit urnam, pilulam suam levi impulsu proijcere possit, neque vicini oculos vereri habeat necesse, quippe qui scire nullâ ratione potest, in utram urnarum pilula fuerit projecta. His urnis juvenes quos dixi singula accedunt sedilia, atque identidem nomen ejus, pro quo suffragia colliguntur, ingeminantes, Senatorib. illas offerunt, qui si candidato suffragari velint, in albam; sin minus in viridem cellulam pilulam projiciunt.

a Plut. de liber. educ.

b de Rep. Ven. l. l.

De modis apertè occulteque ferendi suffragia dictum
 huc usque: Fit autem, quod cum primis etiam ad hanc rem
 pertinet, utrumque iterum dupliciter: vel ita scilicet, ut fors
 permisceatur suffragiis, vel ut nihil planè sorti in electioni-
 bus permittatur: Est autem sortis in hac re duplex potis-
 simùm usus, unus cum nominatio quidem sorti, electio verò
 suffragiis permittitur: alter cum fors eò adhibetur, ut ex
 electoribus certus duntaxat numerus, reliquis exclusis, ad
 suffragia perveniat. Quæ utraque exemplis illustrioribus
 explicari merentur. Et primum quidem illud institutum,
 quo ex illis qui priùs ex omnibus candidatis maximè ido-
 nei sunt iudicati, sorte unus aliquis ad munus eligitur, non
 rarus fuit apud antiquos usus, in sacerdotum præcipuè ele-
 ctione: fortè quòd divinorum Ministrorum designationem
 Diis ipsis, à quibus fors immediatè dirigitur, potissimùm
 permittendam existimarent. Ita Servius *a* sortem adhiberi
solitam testatur, cum deerat Sacerdos certus. Quod idem de Sa-
 cerdotibus Augustalibus Tacitus notat *b*. Illustre cum primis
 est Ciceronis *c* de Syracusanorum more in legendo Jovis Sa-
 cerdote testimonium: Cum suffragiis, inquit, tres ex tribus ge-
 neribus creati sunt, res revocatur ad sortem, ita quidem, ut quot es-
 sent renunciati, tot in hydriam sortes conjicerentur; cujus nomen
 exisset, ut is haberet Sacerdotium. Prorsus ad Apostolorum
 exemplum, quos in veri Numinis Ministro atque Apostolo
 eligendo id ipsum observasse historia sacra *d* affirmat. Se-
 cundo loco, ut dixi, fors eo fine subinde in electionibus so-
 let adhiberi, ut ex universo electorum numero pars quæ-
 dam, puta aut tertia aut quarta, &c. suffragii ferendi jure
 per illam excludantur: quod eò est inventum, ut si eligen-
 tibus suffragia sua incerta redderentur, ambitus atque cor-
 ruptio in hoc negotio eò difficiliùs locum inveniret: ut in-
 fra dicitur. Fit autem id quod dixi, vel in nominatione,
 vel in electione duntaxat, vel in utraque simul. In nomi-
 natione ea sortitio apud Venetos in Magistratum electio-
 ne usurpatur: quorum eà in re consuetudinem prolixius

a ad Virgil.
Aen. lib. II.

b Ann. lib.

54.

c Orat. IV.
 in Verrem.

d A. I. 23.

24. 25.

G

descri-



a de R. V.
l. 1.

50.

describit Contarenus *a*: è quo id tantum noto, fieri eam sortitione, ut ex Senatorum numero, qui ferè ad 4000. assurgit, nominationis negotium ad 36. devolvatur. Apud eundem Contarenum porrò legi meretur Ducis eligendi ratio, Venetis usurpata, quâ sorte suffragiis intermixtâ ex universo Senatorum numero tandem ad 41. eligendi istud negotium redigitur: quæ cum prolixius ibi tradantur, hîc obiter notâsse sufficiat. In utroque vero & nominationis & electionis negotio sortitio illorum, qui suffragii jus habere debeant, ex nuperâ Ampliss. Magistratûs constitutione ap. nos recepta est. Jubet autem illa, ut in mensa, cui velum, ne quis à quocquam possit conspici, obducitur, in nominatione quidem cistæ ponantur binæ, argenteis una, aureis altera globulis recipiendis destinata: in electione verò cistæ quatuor ponuntur, quarum tres, singulæ singulis candidatis, quorum nomina ibi inscripta leguntur, destinatae sunt, atque globulos aureos, qui pro unoquoque illorum immittuntur, recipiunt, quarta irritorum globulorum est. Post numeratos inde electores, qui præsentés adsunt, totidem numero globulû in saccum immittuntur, quorum duæ tertiæ partes aurei, tertia argentei atque irriti existunt. Ex eo sacco singuli electores globulum unum extrahunt, atque post velum pergentes, si is aureus existat, in nominatione quidem, inscripto in schedulam ejus nomine, quem in candidator. numerum receptum volunt, schedulam globulo obvolutam in cistam eis globulis destinatam projiciunt: in electione verò ipsâ citra schedulam in eam cistam globulum immittunt, cui nomen ejus, cui suffragari volunt, candidati inscriptum legitur. Argentei globuli in cistam illis destinatam projiciuntur. Vnde patet, eâ ratione sorte tertiam electorum partem à suffragiis excludi: quod quid sit, si quidem is sit electorum numerus, qui in tres æquas partes possit dividi, facile intelligitur: Sin verò in tres æquales partes is numerus dividi nequeat, tunc is numerus quæritur, qui post individuum istum proximè in tres partes dividiuus existat, atque

atque adeò quota posterioris istius numeri æqualiter divi-
 dui pars tertia existit, tantam de individuo numero detra-
 himus. Exemplo res clarior evadet. Sint electorum 14. Hic
 numerus cum in tres partes dividuus non sit, attenditur ad
 numerum, qui post istum proximè eo modo dividuus exi-
 stit, nempe quintum decimum. Hujus pars tertia numeros
 quinque continet, qui adeò de 14. illo numero detrahentur,
 atque 9. aurei, 5. argentei globuli sacco immittentur: ut la-
 tius ex d. ordinatione potest colligi *a*. Hæc de modis at-
 que diversitatibus, quæ in suffragiorum latione observari
 possunt, dicta sunt: quas mihi eò fusiùs explicandas existi-
 mavi, ut quis ex omnibus modis utilissimus atque ad elimi-
 nandas ab electionibus illicitis machinationibus commo-
 distimus videatur, ab aliis posset constitui: quâ de re ut ali-
 quid etiam addam, instituti ratio videtur exigere: qua in
 tractatione ita versabor, ut non tam quæ mea, quàm quæ ab
 omni tempore prudentium virorum ea de re sententia fue-
 rit, exponam.

CAPUT XII.

*Quis suffragiorum ferendorum modus
 probatissimus existimetur.*

Ex omnibus autem illis, quæ hætenus recensita sunt,
 generibus suffragiorum, aperta illa, si res in se spectetur, pro-
 cul dubio uti vetustate ita utilitate præ aliis omnibus se
 commendat, eique, propter quem primitus suffragiis, non
 forti, electionem Magistratum committere placuit, fini ac-
 commodatiora videntur. In his enim collatis in commune
 consiliis, dum de candidatorum meritis vitiisque in utram-
 que partem disceptatur, quisque quid potissimum sibi se-
 quendum sit, judicare potest: *Hoc enim sine suffragia & existi-*
matio Senatûs reperta, ut in cujusq; vitam famamq; penetrarent b.
 Id verò in occultâ suffragatione secus est, ubi citra ullam de
 candidatorum meritis deliberationem continuò ad ferenda

*a Ordnung
 wie es in
 bestellung
 allerhand
 Aemtern
 und Dien-
 sten solle
 gehalten
 werden.
 1688.*

*b Helvidius
 apud Taci-
 tum hist.
 IV. 7.*

G 2 pro

pro illis, sæpe non sat benè cognitis, suffragia acceditur, cum unius sæpe prudentis hominis oratio reliquos omnes in meliorem sententiam pertrahere potuisset *a*. Cui rei & illud accedit, quòd in unaquaque, quæ de Rep. suscipitur, deliberatione, id potissimum spectandum est, quid viri prudentissimi, quiq; cum de muneris dum de candidatorum dignitate præ aliis judicare apti sunt, judicent: quod in tacità suffragatione non attenditur, quæ profectò illud, efficit, ut Resp. virorum præ aliis sapientium prudentiâ frui non possit, atque imprudentissimi cujusque suffragium eandem quam prudentissimi viri, vim atque pondus obtineat. Quo argumento præcipuè in tabellariam legem militat Cicero, cujus de hac ipsâ re egregia dissertatio in tertio de legibus extat. Ita ergo ille: *Mihi*, inquit, *nihil unquam populare placuit: eamq; optimam Remp. esse duco, quæ sit in potestate optimorum. Quis autem non sentit, auctoritatem omnem optimatum tabellariam legem abstulisse? quam populus liber nunquam desideravit, idem oppressus dominatu ac potentiâ principum flagitavit. Itaq; graviora judicia de potentissimis hominibus extant vocis quàm tabellæ. Quamobrem suffragandi nimia libido in non bonis causis eripienda fuit potentibus, non latebra danda populo, in quâ bonis ignorantibus, quid quisq; sentiret, tabella vitiosum occultaret suffragium.* Quibus verbis nihil est quod addam: gemina his sunt, quæ de tacità suffragatione Plinius junior egregiè notavit, cujus verba infra subjiciam. Id unum in verbis Tullii noto, ab eo tacitam istam suffragandi rationem popularem appellari: nempe quòd ea res uti tuendæ populi in ferendis suffragiis libertati insigniter facit, qui aliàs, si apertè ferenda essent suffragia, à patronis suis, qui vel nutu ipsi imperare poterant, impunè dissentire ausus non fuisset: ita vicissim optimatum auctoritatem insigniter imminuebat. Eaque ratio fuisse videtur, quòd & Romæ olim, & Venetiis *b* hodiernum in Comitibus quidem populi atque nobilium, ubi libertati suffragiorum præcipuè studendum erat, ea ratio admitteretur, cæterum in Senatu, in quo cum Senatores omnes æqualis essent

b Amelot.
de la Houffaye, du gou-
uern. de Venise c. 4. p.
m. 76.

sent dignitatis, neque unus ab altero potentiori, si ab ipso dissentiret, quicquam vereri necesse haberet, aperta suffragatio retenta fuerit. Hæc ergo, quæ hætenus recensita sunt, apertæ suffragationis commoda eò valere debent, ut non aliter ab illâ Resp. quæpiam sibi recedendum existimare debeat, quàm si extrema necessitas id ipsum postulare videatur. Cæterum ubi eò usque ambitus in Rep. invaluerit, ut suffragia citra insignem rerum omnium confusionem atque boni moris violationem apertè amplius ferri non possit, & præterea illud observetur, esse ex illis, qui ferendi suffragii jus habent, qui pudore aut quâ re aliâ præpediti liberè suffragari, atque ab aliis potentioribus dissentire non audeant, ibi verò ratio nos ipsa ad tacita suffragia, tanquam ad remedium, deducit. Id enim præcipuè præstat tacita suffragatio, ut liberè sententiam ferre eligentibus liceat, quod in apertâ secus est, ubi sæpius tibi id, quod alter, quàm quod ipse sentias, suffragio tuo statuendum est. Sunt enim meticulosi homines, qui à potentioribus aut illis, quibus se vinculo quoquam devinctos nôrunt, dissentire, sive auctoritate illorum, sive offensionis vindictæque aut invidiæ metu impediuntur: quo fit, ut dum ad illorum se nutum componere satagunt, iis sæpe suffragari cogantur, quos aut planè indignos aut sanè aliis meritis inferiores esse liquidò agnoscunt; non facturi, si qua ipsis latebra suppeteret, in quâ à potentiorum oculis auribusque semoti conscientiæ suæ dictamen citra periculum sequi possent. Etenim,

Libera si dentur populo suffragia, quis tam

Perditus, ut Senecam dubitet præferre Neroni? a

Id verò tacita suffragia præstare negari non potest: ut ad eò meritò Tullius *b* tabulam, per quam occultè suffragia ferebant Romani, non uno in loco vindicem tacitæ libertatis appellârit. Accedit & illud tacitæ suffragationis beneficium, quòd ambitiosi homines post omnem in emendicandis suffragiis consumtum laborem ad extremum tamen, cui securè confidant, inveniunt neminem. Quâ enim commo-

diori

a Juvenal.

Sat. VIII.

v. 211.

b Orat. II.

Agrar. &

de LL. Lib.

III.

diori viâ ambiciosi hominis, & malè industiam collocan-
 tis, à quo de suffragio identidem interpellaris, confectione
 te expedias, quàm si liberaliter ipsi polliceare, quod præsta-
 re nolis: quod eò tibi securiùs facere licebit, quòd nulla ex-
 probrationis invidia tibi ab illo metuenda est: quippe a quâ
 idem illud, quod ab aliorum oculis, si parium, te remover.
 Etenim uti polliceri, quod servare nolis, levitatis est; ita
 servare, quod semel malè promiseris, duplex improbitas
 est *a*. Venustè hoc ipsum Tullius *b* exprimit, quando: *Tabella*,
inquit, frontes aperit hominum, mentes tegit, datq; eam liber-
tatem, ut quod velint, faciant, promittant autem quod rogentur.
 Eademque hæc ratio facit, ut corruptio suffragiorum non
 æquè in hac quàm in apertâ suffragatione metuenda sit. Ete-
 nim quàm facilè potest contingere, ut ille, in quem tu uni-
 versum patrimonium effundendum existimaveris, suffra-
 gium suum licet sanctè promissum (si tamen illis hominibus
 quicquam sanctum esse potest) alteri, à quo potiora in poste-
 rum emolumenta speret, præstet? Aut quid si idem ille tan-
 tundem aut eo amplius à rivali tuo acceperit? (& accipiet san-
 nè, ut carius perjurium vendat.) Quod ipsi eò securiùs fa-
 cere licebit, quòd tu levitatem ejus atque impudentiam ar-
 guere non potes? Et hæc quidem tacitæ suffragationis com-
 moda existunt. Ut verò & illa, quæ supra in apertis suffra-
 giis præcipuè commendata sunt, in istis quoque occultis ob-
 tineri quadantenus possint, in usum revocari possit illud
 Atheniensium institutum (quod etiamnum in deliberatio-
 nibus Senatûs Veneta Resp. observat) apud quos quoties in
 Comitiiis agendum quid esset, ne populus temerè iniret suf-
 fragia, in antecessum facultas dabatur iis omnibus qui vel-
 lent, in rem præsentem consulendi atque consilium præ-
 eundi populo. Hac enim ratione id quod in apertis suffra-
 giis potissimum est, obtinetur, nempe ut demum collatis in
 commune consiliis, ventilatisque candidatorum meritis, ad
 ferenda pro illis suffragia procedatur. Quanquam ne quis
 electorum merita candidator. ignorare possit, probuleuma-
 ta etiam

Adde c. 3. §.
catium, de
el. in 6.
b Orat pro
Plancio.

ea etiam illa, atque specimina, quibus subinde candidato-
rum merita ante electionem explorantur, efficiunt.

Ne quis verò existimet, tacitam istam suffragandi ratio-
nem post adhibita isthæc remedia vitiis omnibus exemptam
fore, adijciam gravissimum eâ de re Plinij junioris a *judiciû*, a *Epist. l. III.*
qui cùm ipsius tempore occulta suffragia in Senatum ad evi- 20.
tandum ambitum essent introducta, ita ominatur, ut *vereri se*
dicat, ne procedente tempore ex ipso remedio vitia nascantur. Est enim
periculum, ait, ne tacitis suffragiis impudentia irrepat. Nam quoto
cuiq; eadem honestatis cura secretò, quæ palàm? Multi famam, con-
scientiam pauci verentur. Et hæc quidem eum non frustra omi-
natum esse, eventus docuit: Ita enim ipse alibi b: Scripse b *Ep. l. IV.*
ram, inquit, tibi verendum esse, ne ex tacitis suffragiis vitium ali- 25.
quod existeret. Factum est: proximis comitiis in quibusdam tabellis
multa jocularia, atq; etiam fœda dictu: in unâ verò pro candida-
torum nominibus, suffragatorum nomina inventa sunt. Excanduit
Senatus, magnoq; clamore ei qui scripsisset, iratum Principem est
comprecatus: ille tamen fefellit & latuit, fortasse etiam inter in-
dignantes fuit. Tantum licentiæ pravis ingeniis adijcit illa fiducia.
Quis enim sciet? proposcit tabellæ, stylum accepit, demisit caput,
neminem veretur, se contemnit. Inde ista ludibria, scenâ & pulpi-
to digna. Quid te veritas, quæ remedia conquiras? Vbiq; vitia reme-
diis fortiora. Accedit, quòd nec ad ambitum evitandum suf-
fragiorum ista occultatio valet, quòd cùm Romanorum Co-
mitia, in quib. etiam post datam pop. tabellam ambitus pla-
nè regnabat, tum verò Veneta Resp. hodiènum experitur,
de cujus Broglia atque munerum publicorum mercatu plura
habet Amelotius c. Quare ut huic vitio arctior imponeretur c *du Gou-*
fibula, illud est in quibusdam Rebusp. quarum institutum uern. de Ve-
Ampl. Magistratus noster secutus est, salubriter receptum, nise. l. l. c. 2.
ut electoribus suffragia sua incerta redderentur: quo fine is p. m. 25.
sortitionis usus introductus est, de quo suprâ est dictum, quo
nempe ex omni elector. numero certa quæpiam, tertia pu-
tâ aut quarta pars, suffragii latione excluditur. Fit enim
hoc pacto, ut nemo facilè ex candidatis tam sit suarum re-
rum

rum futurus prodigus, ut in eum multum pro suffragia erogare velit, qui an etiam suffragium obtenturus sit, prorsus in incerto est. Fieri enim quam facile profecto potest, ut ei sit fors quam maximè futura adversa, in quem tu universum patrimonium effundendum existimaveris. Sed de occultâ suffragiorum ferendorum ratione hucusq; Porro si experienciâ constet, ne hoc quidem remedio ambitum aliasq; machinationes à suffragiis excludi posse, proximum fuerit eam eligendi rationem usurpare, qua ex illis qui muneri cuiquam subeundo digni sunt præ aliis existimati, forte unus aliquis eligitur: quanquam id in electionibus Ecclesiasticis fieri canones *a* vetent. Neque enim hoc casu id, quod aliàs sortis proprium est, vereri necessum habemus, ne nempe illa ad indignos deeret, quando fors & urna, dicente Helvidio *b*, mores non dijudicat: quippe cum non nisi inter dignos atque idoneos sortitio instituat. Idque eò minùs metui fuerit necesse, quòd, ut dixi, non nisi in eas Respp. hoc institutum introduci debet, in quibus eò usque ambitus invaluit, ut nulla sincera atque incorrupta suffragia expectari amplius possint: quo ad eò casu potius fuerit incorruptæ sortis quàm corruptis suffragiis Magistratum constitutionem permittere. Tum v. hoc saltè si non aliud, ea sortitio præstat, ut in electionibus ambitioni atque inimicitias locus non sit. Sed de modis ferendorum suffragiorum, & quis ex omnibus optimus videatur, plus satis: quibus id unum corollarii loco subjiciendum est, nunquam expectandum esse, dum ambitio & perjurium inter homines regnat, ut quicquam, quod suffragiorum integritati omni ex parte consulat, reperiatur. Plinius *c* sanè, cum tacita suffragatio ad excludendum ab electionibus ambitum in Senatum esset Romæ introducta, ad extremum tamen fateri necesse habuit, *Vbiq; vitia remediis esse fortiora.*

Cæterum quæ demum cunque suffragandi ratio publicè recepta est, illa omni ex parte observanda est, ad eò ut si qua solennitas legibus præscripta omissa fuerit, electio nulla

a non statim. 26. q. 2. c. 1. x de sortil.
b apud Tacitum Hist. IV. 7.

c Ep. l. IV. 25.

nulla esse jubeatur, & ne quidem ab eâ appellari sit necesse *a.* *a. l. 27. C. de*
 Sunt autem ad eum modum omnium planè præsentium in- *appell.*
 quirenda suffragia; ad eò ut si vel unum omitti contingeret,
 electio non valeret *b.* Quemadmodum *a.* suffragii ferendi *b. c. quia*
 potestas, omnib. fieri debet, ita si quis suffragium ferre recu- *propter. 42.*
 set; cogi potest *c.*, nisi tamen electori non liqueat de meri- *x. de el. Bia-*
 tis candidatorum, quo casu compelli possunt, ut jurent sibi *si. dir. el. p. 3.*
 non liquere *d.* *c. 27.*

CAPVT XIII.

De his, quæ suffragiorum Lationem sub-
sequuntur, ubi præcipuè de eorum Nu-
meratione.

Postquam hucusque sufficienter ea sunt explicata, quæ
 & præcedunt suffragiorum lationem, & in ipsâ latione ob-
 servanda sunt, consequens est, ut porro ea, quæ actum illum
 proximè subsequuntur, expendamus. Et in Episcoporum
 quidem electionibus continuò lationem suffragior. subse-
 quitur publicatio, quam vocant, Scrutinii *e.*, quæ in eo con- *e d. c. quia*
 sistit, quòd omnium Canonicorum suffragia, additis singu- *propt. de el.*
 lorum à quibus ea lata sunt nominibus publicè in collegio
 prælegantur: quo fine ea à scrutatoribus singulis tum cum
 feruntur, tabellis solent consignari. Debet *a.* eò præcipuè fieri
 ea publicatio, ut (quod & ipsum in iis electionibus requiri-
 tur *f.*) deinceps inter se conferri suffragia possint. Instituen- *f d. c.*
 da est autem collatio, numeri, meriti, & Zeli. Numeri qui-
 dem, ut sciatur, an quis ad legitimum, quis item ad majorem
 suffragior. numerum pervenerit; meriti, ut dignosci possit,
 an is sit electus, qui idoneus existat, quemque per leges eligi
 liceat; Zeli denique, ut sciatur, an quis eligentium consan-
 guinitatis, affinitatis, aut quo alio affectu ductus alicui fuerit
 suffragatus: de quo è conjecturis judicandum est: ut is de-
 nique eligatur, qui & numero suffragiorum & meritis pro-
 priis & suffragatorum probitate vicerit. Istam porro colla-

H

tionem



tionem suffragiorum excipit electio, quâ scil. unus aliquis nomine universi capituli eum, in quem & majora & saniora suffragia consenserint, in capitulo palàm electum pronunciet. Hæc omnia subsequitur publicatio electionis, in eo consistens, quòd electus publicè coràm universo cætu atque Ecclesiâ proclametur. Et hæc quidem in electionibus Episcoporum peculiariter obtinent. Ex his illud electionum omnium est cõmune, quòd lationem suffragiorum excipiat eorundem numeratio, quâ de re aliquid amplius est dicendum. Sunt a. hac in re duo præcipuè consideranda, nempe &, quantus ad perficiendam electionem suffragiorum numerus requiratur: & quomodo is numerus debeat iniri. Primum illud quod attinet, illud in antecessum paucis explicandum est: ad numerumne an ad pondus computari debeant suffragia: sive, illane suffragia pro potiorib. sint habenda, quæ rationum momentis, an verò ea, quæ numero prævalent? Quæ res distinctione est expedienda: In illis enim electionibus, quæ ab iis peraguntur, qui supra se alium habent, à quo de electionis æquitate judicari possit, ita obtinet, ut superior iste, à quo confirmanda est electio, non semper ad numerum suffragiorum cogatur attendere, sed eum subinde confirmare possit, cui meliores suffragari fuerint visi a: (nisi hoc ei sit interdictum) b quod electionum Episcoporum exemplo patet, in quibus non sufficit, plura in eundem suffragia concurrere, nisi eadem sint & saniora, quia quod in eis dubium obvenerit, Pontificis iudicio definiri potest c, quo fit, ut nonnunquam pauciorib. electus suffragiis, Pontificiis iudicio comprobetur d, tum scil. cùm à scientib. indignus quispiam, licet pluribus suffragiis electus est. Quod tamen eatenus verum est, nisi quis in tantum alterum suffragiis superârit, ut duplo quàm ille majorem suffragiorum numerum tulerit: quo casu nihil prorsus illius electioni opponi potest e. Quod v. eas electiones attinet, quæ ab illis, qui superiorem non habent, peraguntur, in illis frustra planè proposita quæstio movetur, quippe in quibus ea suffragia

a c. 3. x. de el.
b l. 59. C. de
Decur.

c c. licet. 6.
x. de elect.
d c. 53. n.
eod.

e c. si quan
do 9 d. el.
in 6.

gia quæ numero, eadem pondere quoque aliis prævalere censenda sunt. Etenim uti nemo negaverit, id semper potius in sententiarum diversitate sequendum esse, quod æquius videatur, ita porro si quærat, quid potissimum eo casu pro æquo sit habendum, eò profectò recurritur, ut illa sententia æquior debeat censi, quæ pluribus illorum, qui soli eâ de re judicandi jus habent, calculis talis esse fuerit existimata. Exemplo sit Pontificis electio, in quâ ex Concilii Lateranensis constitutione, indistinctè is qui à duobus Cardinalium partib. electus est, pro Pontifice est habendus, quia nempe non potest ad superiorem recursus haberi *a.*

*a d. c. licet.
x. de el.*

His in antecessum propositis, pro porro de numero suffragiorum, quantus sc. ad perficiendam electionem requiratur, videndum est. Quod aliter rectè explicari non potest, quàm si prius observetur, jus suffragii pertinere ad aliquos vel ut ad universitatem aut collegium, vel ut ad singulos. Ut universi id jus illi habent, qui jus suffragii non proprio quodam jure habent, sed tantum quatenus sunt pars ejus universitatis aut collegii, cui eligendi jus à Principe concessum est. Ad plures v. ut singulos ea pertinere dicuntur, quæ singulis proprio quodam jure competunt: cujusmodi sunt illi, inter quos pacto aliquo aut aliâ conjunctione res quæpiam est communis, qui que in collegium aliquod non coaluerunt. In his ergo, quæ eo modo ad plures ut singulos pertinent, ita observatur, ut uno invito reliqui in re communi statuere nil possint: Sed si aliquid, quod omnes teneat, agendum sit, id ab omnibus planè debeat approbari *b.* Hoc modo si plures sint Ecclesiæ cujuspiam Patroni, cum singuli jus patronatûs proprio quodam jure obtineant, neque ullatenus in universitatem aliquam coaluerint, non aliter Ecclesiæ Ministrum ab illis præsentari posse dicendum erat, quàm si omnium planè suffragia in unum aliquem consensissent: nisi jus Canonicum ob favorem Ecclesiarum, quarum intererat Ministrorum electionem diu non differri, contrarium constituisset. *c.* Aliud in illis electionibus obtinet,

b l. per fundum 11 ff. de S. P. R. l. 28 ff. com. divo.

c c. quoniã. 3. x. de jur. patr.

net, quæ ad plures ut ad universitatem aut Collegium pertinent: in his enim, ut ad finem deliberationis aliquando perveniri posset, istud est receptum, ut in sententiarum diversitate id valeat, quod plurimum suffragiis conprobatur, atque id quod major pars curiæ effecit, pro eo habeatur, ac si omnes egissent *a*. Cæterum quidnam hac in re pro majori parte haberi debeat, non est omni ex parte expeditum. Et communiter quidem Dd. quantum ad hanc rem majoritatis suffragiorum attinet, distinguunt inter electiones, & alias consultationes publicas. In illis pluralitatem suffragiorum ita computandam ajunt, ut pro pluribus habeantur ea suffragia, quæ talia sunt respectu totius Collegii, non quæ respectu aliorum contradicentium: atque aded ut supra dimidiam suffragiorum partem electus ferat: quod exemplo clarius fiet, E.g. è 30. electoribus si 12. quidem in Mævium: 10. in Titium, 8. in Sejum suffragia sua dirigant, nullus ex istis majorem suffragiorum numerum tulisse dicetur, nempe quia licet is qui 12. tulit, aliorum resp. plura tulerit, non tamen tulit majorem numerum resp. totius collegii. Quare ad minimum is, qui majori numero volet vincere, è 30. illis 16. ferat necesse est. In reliquis verò consultationibus publicis numerum consentientium, non attento an resp. collegii major sit, respici ajunt. *b* Ego hanc rem certâ ratione definiri non posse existimo, cum id totum pendeat à cujusque civitatis arbitrio, quæ pro lubitu statuere potest, quota eligentium pars in unum conspirans totius concilii voluntatem repræsentare debeat *c*. Quare videmus hac in re variorum locorum instituta insigniter variare. Etenim in Electionibus quidem Ecclesiasticis Episcoporum &c. illud requiritur, ut major totius capituli, sive major dimidiâ pars suffragiis suis consentiat, *d* quod ipsum & Veneti in electionibus suis observant *e*, & in Imperatoriâ quoque electione requirunt nonnulli, quorum opinio A.B. ut ego quidem existimo, convenientior, consuetudine refutatur. Contrâ Electio Pontificis non aliter rata habetur, quàm si duæ tertiæ suffragiorum partes

a l. 19. ff. ad
munic. l. 36.
l. 34. ff. de re
jud. l. nomi-
nationum.
45. C. de
decur. c. 1. x.
de his qua fi.
à maj. p. cap.

b Mævius.
ad jus Lub.
l. 1. r. 1. a. 2.
n. 34, 35. &
ab eo citr.
c. Puffend.
de J. N. &
G. l. VII. c. 2
n. 15.

d c. Ecclesia
48. x. de el.
e Contr. l. 1.

partes in eundem concordaverint *a*. Idemque & in postulatione requiritur: quod si enim ab una quidem Canonico-
rum parte unum eligi, ab alterâ alium quempiam postulari contingat, non aliter postulatus electo prævalebit, quam si duplo quam electus majorem numerum suffragiorum tulerit *b*. Est denique, ubi electus censetur, qui aliorum ratione, licet non respectu totius collegii, majorem suffragiorum numerum tulerit; quod cum apud nos aliosque obtinet, tum verò & in præsentatione à Patronis, ad quos ut singulos patronatus pertinet, facta sufficere statuunt Canonistæ, qui aliud eo casu esse dicunt, quando præsentatio ab illis ut collegio peragitur, tunc enim majoris capituli partis suffragia requirunt *c*. Hæc ita, si suffragia in alterutram partem plura existant. Quid autem si suffragia in omnem partem paria numerentur? Et in sententiarum quidem, quæ à iudicibus ordinariis proferuntur, paritate illud observatur, ut in dubio pro reo aut illo, qui favorabiliorem causam habet pronuncietur *d*. Cui simile est quadantenus id quod de electionibus Episcoporum Canones constituunt: in quibus quoties aliquis è collegio Canonico-
rum ejus Ecclesiæ cui Episcopus quæritur cum extraneo quopiam paria in electione suffragia tulerit, Canonicus, quippe cujus favorabilior est causa *e*, electioni suæ consentiendo numerum suffragiorum augeat, atque extraneo præferatur *f*: Non aliter autem assensus electi suffragiorum numerum auget, quam si is electionem ab aliis jam factam subsequatur: quod si enim præcedat, suffragium istius hominis tanquam ambitiosum meritò rejicitur. Neque verò interesse videtur, suum is votum in scrutinio jamdum alteri præstiterit, annon, dummodo ejus suffragium aliis junctum majorem pro alio suffragiorum numerum non confecerit *g*. Quod de Episcopis, id ipsum de Electoribus Imp. constitutum legimus, è quibus unus, si cum Principe quopiam non Electore paribus suffragiis electus fuerit, Elector suffragatoribus suis assentiendo numerum suffragiorum auget, ut latè ex A. B. colligitur *h*.

a c. licet. 6. x. de el.

b c. Scriptur. 40. x. de el. ubi & ratio ejus constitutionis.

c Panorm. c. ad c. quoniam. 3. x. de jur. patr.

d c. ult. x. de sent. & re jud. l. 38. ff. eod.

e c. obitum 63. dist. f. c. cum in jure 33. x. de el.

g Gl. in d. c. 33. de el.

h cap. 2. §. Alibi ult.

*a Thesaur.
dec. Pedem*

l. n. 4.

b c. dudum.

22. x. de el.

c Si forte 63.

dist.

d c. Venerabilem x. de elect.

Alibi illud est receptum, ut in paritate suffragiorū ei stetur sententiæ, cui præses *a* accesserit, aut eor. elect. qui dignitate, ætate aut tempore alios antecedunt: nam & has res *b* ad alicujus electionem multum afferre adjuncti rescriptum est. Extra hunc verò casum aut superioris arbitrio in paritate suffragiorum permittenda est electio, quomodo in electionibus Episcoporum. eo casu metropolitani iudicio standum esse rescriptum est *c*: atque id ipsum in electione Imp. Pontifices ambitiosè nimis sibi arrogârunt *d*: alii Bohemiæ R. falsò tribuunt, cujus suffragium in paritate demum votorum requiri affirmant: aut sanè denuò in suffragia mittendi fuerint electores, aut sorti res permittenda: prout cujusque loci consuetudines, quæ hac in re admodum variant, tulerint.

Dixi de numero suffragiorum, quantus ad perficiendam electionem requiratur: consequens est, ut de ratione, quâ is numerus iniri solet, aliquid dicatur. Numerantur autem suffragia vel curiatim vel viritim, vel mixto quodam modo. Et viritim quidem tum, cum singularum Personarum suffragia numerantur: Curiatim, cum plura collegia in ferendis suffragiis concurrunt: ita ut id quod à majori unius collegii parte constitutum est, unius: quod verò à pluribus collegiis, plurium suffragiorum vim habeat: quod ex Comitiorum Rom. manifestum evadit, in quibus cum pop. esset in 193. centurias distributus, is demum Magistratus creatus censebatur, qui plurium centuriarum suffragia tulisset. Est porrò, ubi, ut dixi mixto quodam modo, nempe viritim partim, partim curiatim ineuntur suffragia: quod tum contingit, cum eligendi jus partim ad singularem quampiam personam, partim ad collegium pertinet *e*, quo modo ad Episcop. & Capitulum pertinet provisio præbendæ: quo casu prior ille unum, collegium v. alterum suffragiorum semissem obtinet, adeò ut & majorem capituli partem, & præterea Episcopum consentire in alicujus electionem oporteat: neque sufficiat, ut omnium simul sumtorum pars major consentiat *f*.

*e. Panorm.
conf. l. 11. 37.*

*f Plura de
hac re Bar
bosa ad c. 15.
x. de conc,
prab.*

C A.

Quis suffragii semel lati effectus. De actionibus quæ suffragii nomine competunt. Quibus modis infirmentur suffragia. Quibus item suffragii jus amittatur.

Superest, ut de vi & effectu suffragiorum breviter pertractemus. Ea a. est vis semel lati suffragii, ut revocari id aut mutari nisi ante publicationem scrutini non possit a. post publicationem v. expectare teneantur electores usq; dum is qui electus est, munus acceptet b. Ad effectus suffragii & illud potest referri, quod j. Civili qui suffragio suo sibi met successorem nominat, quod facere solebant Duum viri, q. fidejussisse pro nominato censeatur, à quo adeo si quid in Magistratu peccatum, velut si pecuniæ publicæ interversæ essent, nominator eo nomine conveniri poterat c, quod Veneti hodiernum observant, apud quos is qui suffragio suo eum, qui postea Magistratus eligitur, primum inter candidatos retulit, pro ipso fidejussisse censeatur d. Denique is potissimus suffragior. est effectus, quod in quem plura illorum consentiunt, is electus censeatur: paria v. nihil in causâ electionis concludant.

Illud potiori jure ad hunc locum pertinet, ut de actionib. quæ suffragii nomine competere possunt, obiter dicatur. Sunt a. illæ duplices, petitoria alia, alia possessoria: quarum illis de proprietate, his de possessione ejus juris agitur. Ex his adipiscendæ possessionis interdicto si is agat, ad quem jure communi suffragii jus in aliquâ electione pertinet, velut Canonicus in Electione Episc. statim ei possessio adjudicabitur, nisi alius in continenti id jus ad eum non pertinere evincat. At is, cui juris præsumptio contraria est, non aliter, quàm si evidenter docuerit de titulo, quo id jus ad eum pertineat. Quæ distinctio etiam in recuperandæ possessionis interdicto observanda est: in quo non aliter is, cui juris præsumptio contraria est, vincet, quàm si docuerit, quod ejus juris possessionem legitimè fuerit assecutus e: nisi quod nonnunquam justissimis ex causis possessio illa jure ad aliquem pertinere præsumitur f. Hoc ergo recuperatorio interdicto petet spoliatus, ut in possessionem juris suffragii, irritatâ si quæ eo non admisso celebrata est, electione, remittatur: Porro resinendæ possessionis interdicto is utitur, qui jamdum in ejus juris q. possessione constitutus est contra quoscunque turbantes. Datur a. hujus rei nomine etiam confessoria & negatoria actio g: Illa quidem cum e.g. Ecclesiæ unius Canonici sibi in creando alterius cujuscumque Ecclesiæ Episcopo suffragii jus esse contendunt: quod servitutis quandam speciem habet: hæc vicissim, cum id jus aliis competere negatur.

Id unum jam superest, ut videamus, cum quâ ratione infirmentur suffragia, tum quibus modis jus suffragii amittatur. De primo illo ita tenendum, esse quædam suffragia ipso jure nulla, quæ adeo etiam citra appellationem invalida existunt: alia quæ per sententiam demum infirmantur. Nulla autem sunt illorum suffragia, quæ ab iis, quibus id jus non competit, lata sunt: velut à Laico in electione Episcopi h. Est a. hoc ita intelligendum, si quis neque in proprietate neque in possessione juris suffragandi extiterit. Quandoquidem ut suffragium ferre quis possit, & facta ab isto electio teneat, sufficit, aliquem in possessione suffragandi extitisse i, ut supra ex parte

a c. publica-
10. 58. x. de
elect.

b c. cum in-
ter. 21. de el.
c. 17. de prob.
in 6.

c 1. r. C. de
peric. nom.

d. 3. 4. C. quo
quicq. ord.
d. Contar.

l. 1.

e c. 2. de
rest. spol. in
6.

f c. 3. x. de e.
pos. & pr.

g c. 8. x. de
consuet. gl.

ad c. 3. x. de
ca. pos. & pr.

verbo: quic-
quid juris.

h c. Massana
58. x. de el.

i c. in Gen.
57. x. de el.

c. 24. eod. c. 3.
c. 7. x. de ca.
pos. & pr.

*a l. 27. C. bc. cum ter-
 ra. 14. de el.
 c. 3 §. cate-
 rium. de el. in
 6. c. 43. x. de
 elect.
 c. 2. x. de
 eo qui dux.
 in m.
 d. d. c. 3. de
 el. in 6.
 c. l. 7. C. qu.
 prov. non
 est.
 f. c. 2. de el.
 in 6.
 g. l. 7. C. de
 ap.
 h. l. 65. §. 2. ff.
 ad SC. Treb.
 l. un. C. si pr.
 inim.
 i. Baif. in di.
 el. p. 1. c. 14.
 n. 2. &c.
 k. l. 1. §. 3. ff.
 quod fals.
 tur. Add. c.
 fin. x. de pro.
 l. arg. l. 36. ff.
 de re jud.
 m. c. quan-
 quam. 18.
 de el. in 6.
 n. c. cum
 vos. ubi gl.
 de off. ord.
 o. c. 2. de
 conc. prob.
 p. c. fin. de
 consue. in 6.
 r. d. c. 18. de
 elect.*

est dictum. II. Illa, in quibus solennitates legibus requisitæ observatæ non
 sunt *a*. III. Quæ metu sunt extorta *b*, ob easdem rationes, ob quas matri-
 monium metu initium ipso jure nullum esse jubetur *c*; præprimis cum ne
 concipi quidem suffragium atque electio possit, ubi necessitas imponitur suf-
 fraganti unum aliquem eligendi: Quare nec juramentum, quo quis suffra-
 gium suum alicui obligare coactus est, attendi debere Jus Canonicum con-
 stituit. *d* IV. Si per ambitum, pecuniâ aut quâ alia re suffragia corrupta
 sint. *e*. V. Si quis sibi ipsi aut ei in cujus causâ secessus eligenti impera-
 batur, suffragatus fuerit; ut supra plurib. dictum. VI. Suffragia alternati-
 va, conditionata, incerta *f*. Et hæc quidem potissima eorum suffragiorum,
 quæ ipso jure nulla sunt, species existunt. Sunt *a*. aliæ electiones, quæ suffra-
 giis illegitimis illis quidem celebrantur, sed quæ tamen tam diu valent, donec
 per sententiam rescendantur: Cujusmodi sunt illæ, quibus is, qui à munere
 quopiam vacationem habebat, electus est: quæ non aliter rescinduntur, quàm
 si appellatum sit *g*. Si ex gratiâ, odio aut inimicitia lata sint suffragia *h*. &c.
 Quod si ergo electionem aliquam illegitimis istiusmodi suffragiis peragi
 contingat, electionem non valere in aperto est. Quod quidem si major suf-
 fragiorum pars ejus generis sit, dubium habere non videtur: quid autem, si
 vel unum duntaxat aliquod, aut etiam plura suffragia ejus commatis in ele-
 ctione lata sint, an propterea totam electionem pro nullâ habenda aut re-
 scindenda existimamus? Ego, licet alii in diversa abeant, negandum arbi-
 tror: dummodo reliqua suffragia, quæ ab istâ labe immunia existunt, eum
 numerum conficiant, qui ad perficiendam electionem requiratur *k*, cum
 utile per inutile vitiari non debeat. Id unum superest, ut quâ ratione
 suffragii jus amittatur, breviter adjiciamus. Et amittitur quidem hoc
 jus regulariter morte: cum ad hæredes non transeat; nisi peculiari jure at-
 que privilegio id ita statutum sit, velut in patronis, ut supra est dictum. Item
 præscriptione: porro si quis in suffragio ferendo formam legibus præscriptam
 non observaverit, quo tamen casu non ipso jure, sed per sententiam demum
 eo jure privabitur *l*. Si quis item indigno fuerit, suffragatus: quo casu si
 quidem omnes eligentes indignum elegerint, ipso jure suffragio excident *m*
 & ad superiorem proximum, si inferior: aut ad summum Pontificem, si cathe-
 dralis fuerit Ecclesia, eligendi jus devolvitur: sin aliqui duntaxat, ad reliquos
 decollegio, qui digno fuerint suffragati, jus eligendi totum recidit. Est *a*, hoc
 ita intelligendum, si scientes indignum elegerint: sin ignorantes, poterunt illi,
 priori electione rescissâ, ad alteram pergere. Hoc idem de præsentatione in-
 digni à patrono Ecclesiastico scienter factâ affirmant DD. Aliud est, si sit pa-
 tronus laicus, qui si minus idoneum præsentet, intra quadrimestre, quod ipsi
 ad præsentationem faciendam relinquatur, alium idoneum præsentare pote-
 rit *n*. Deniq; & ob negligentiam suffragii jure quem privari expeditum est:
 Quare si Clerici intra semestre *o*, patronus intra 4. menses *p* eligere aut præ-
 sentare distulerint, eligendi jus protinus ad superiorem devolvitur, & quæ
 de re pluribus pertractant Canonistæ. Mibi potissimas, ob quas
 suffragii jus amitti est traditum, rationes,
 attingisse sufficiat.

F I N I S.






ULB Halle

3

005 129 206





15

DISSERTATIO
De
SVFFRAGIIS
ET EORVM JVRE

Quam
DEO PRÆSIDE
DECRETO ET AVTHORITATE
Amplissimi Jctorum
Ordinis
PRO
SVMMIS IN VTROQVE JVRE
HONORIBVS RITE CONSE-
QVENDIS

PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI
SVBMITTIT

JOH. JACOBVS BATTIERIVS
BASILIENSIS.

Ad diem

A.C. clō Ioc LXXXIX.



BASILEÆ,

Typis JOH. RODOLPHI GENATHII.

